Digitized by Google

8
3 d
16

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
26

Cc. VI.
~~CC. V. ...~~
~~B. VI.~~
8. – 3 . d . 16.
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# FUNUS LINGUÆ HELLENISTICÆ,

*Sive*

Confutatio Exercitationis

DE

HELLENISTIS ET LINGUA HELLENISTICA.

*Cui libet exequias ire Helleniſticæ, i, licet. Ecce illa iam effertur.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
CIƆ IƆ C XLIII.

Digitized by Google

# FUNUS LINGUÆ HELLENISTICÆ,

## *Sive*

## Confutatio Exercitationis

## DE

## HELLENISTIS ET LINGUA HELLENISTICA.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

### *Ad Sectionem* I.

EXIIT tandem nuper è tenebris in lucem per tot annos expectata, multum diuque deſiderata doctis omnibus, de Helleniſtis & lingua Helleniſtica Exercitatio. Prima inſcribitur, cum ſit ſola. Fortean quia & ſequuturas alias hæc prima minatur. Quæ ſi tamdiu ſe ſinent expectari, ut hæc facit, moræ crucem vix feramus: dolituri interea vicem miſerorum Helleniſtarum, quod tempore tam longo ſtatus eorum pendeat, novorum orbis litterarii colonorum. Deducere eos ex urbe Νεφελοκοκκυγίᾳ, ubi ſemper antea vi-

-318



40

xere, auſpicato aggreſſus eſt litteratorum decus Heinſius, ut huius illos mundi incolas ſtatueret. Redauſpicatus eſt Salmaſius, & illuc unde malum pedem tulerant, in Utopiæ ſolas terras referre, magna vi, ſed avi bona , & ſecundis ominibus coëgit. Auſpicium, nos meliora ſequentes, quia addicunt aves, primæ Exercitationi, dum aliæ quas iubemur expectare venient, hanc confutationem oppoſuimus, remorā fortaſſean futuram earum quas ſequuturas deſtinavit auctor. Hoc enim, ſi non coniectura fallit, præſtabit, ut ne libeat reliquis ſubſequendi ordinem & caſum ſubire , quas idem manebit fatum, niſi ſi forte velint intereſſe pompæ funeris quod primæ paravimus. Tam infelicis fœtus parens nomen ſuum in Titulo Exercitationis comparere noluit, conditę ſtylo Heinſiano, nullis argumentis, rationibus nihili, probationibus & aſſertionibus omnibus aut magnam partem falſis, id eſt, plane Heinſianis. Ea inſcribitur ad Nobiliſſimos Clariſſimoſque viros DANIELEM HEINSIUM , & CLAUDIUM SALMASIUM. Mira inſcriptio, cum Exercitatio tota pro Heinſio ſit contra Salmaſium. Cur ita tamen voluerit frontem operis proſcribere Diatribæ auctor, haud difficile divinatu eſt. Si Heinſius ipſe eius au-

ctor eſt, ut non vane auguror, quaſi magiſter diſcipulo præire dignum duxit. Si fautor aliquis Heinſianarum partium, armis eius ac telis inſtructus, hanc adornavit offellam vel opellam, cuius gratiam volebat, ſic eidem ſubblandiri neceſſe habuit. Nec tamen, ſive hic, ſive ille, Salmaſiũ videntur inciviliter aut inhumane tractaſſe, quem Heinſio titulis exæquarunt. Cæterum ſi bene ille mihi notus eſt, quandoquidem ſe nobilem maiorum ſuorum virtute ac beneficio natum meminit, nihil ultra requirit, & ſuperlativum nobilitatis gradum aliis relinquit, quo nunc donantur viles quique & obſcuri doctores. Sufficit apud nos bono & antiquo genere prognatis, ſi nobiles vocentur; qui nihil morantur ſe *Nobiliſſimos* dici; quomodo nuncupari ius fuit, Cæſarũ & Auguſtorum primogenitos, vel ſucceſſores imperii deſignatos, circa medium eius ævum, atque etiam infimum. Hac Hyperocha per me gaudeant molles ignobilium magiſtellorum auriculæ. Tota paſſim Exercitatione plenis buccis, immo ſaccis, laudes in Salmaſium uſque ad faſtidium lectoris congeruntur. Quam ſincere hoc ab illo fiat, ipſe viderit, & alii iudicent. Qui naſum habebunt, facile odorabuntur, perpetuam laudantis eſſe ironiam. Salmaſius in-

 terim

terim primo in limine quaſi negligens carpitur, quod quæcunque ſub acumen ſtyli occurrunt chartis ſoleat committere. Talem ego malim negligentiam, quam iſtorum diligentiam, qui magno conatu, magna induſtria & labore, magnas nugas dicunt. Quas ſi bono ordine & eleganter diſſerunt, tum pulcre ſibi proceſſiſſe opus putant, & lectoribus luculenter ſatisfeciſſe. Ego rudes & indigeſtas auri moles & maſſas in acervum fortuito coniectu accumulatas malo quam plumbi lancellas multo artificio belle compoſitas vel diſpoſitas. Exemplo tamen Salmaſii, qui ἀμεθόδευτος eſt, excuſare contendunt, quod in his Exercitationibus ἀκρίβειαν methodi minus obſervarint. Mira hæc hominum ratio, qui de minimo peccato ſe purgare ſatagunt, propter quod nemo eos accuſaret, niſi qui ſimilis horum eſſet: at grandia & enormia vitia quibus totum opus ſcatet, non laborant excuſare. Hac in re tamen inculpabiles eos pronuntiare non verear, & hac una ratione videntur defendi poſſe, quod non putant ſe erraſſe. Ut videant ergo errores ſuos, ad quos cæcutiunt, ingeramus illis in os, & oculis ſubiiciamus quæ peccarunt. Si nec ſic ea fatebuntur & agnoſcent, pro cæcis eos, vel pro malis traducemus, & tales ſibi propina-

pinatos lector eruditus ſubſannabit. Salmaſius porro, qui veris encomiis, quia ea ſpernit, nihil moveretur, fictis & figuratis non tenebitur, qui largitores eorum non ſibi metuendos cenſet. Ipſe ſemet Heinſius, pro modeſtia ſua, præter Nobiliſſimi & Clariſſimi titulos, etiam ſummum virorum, & politiſſimum & ingenioſiſſimum ubique perhibet. Nos eum talibus elogiis, quoniam ut propria ſibi vindicat, neutiquam fraudabimus, & ſic deinceps modo hoc, modo illo modo compellabimus, ut ſciat nos ſuam gratiam velle, & impenſius amicitiam expetere quam ipſe vanos & ambitioſos appetit titulos. Sed profecto ſummus ille virorum Heinſius magnopere ſpe ſua exciderit, ſi ſimplicior aliquis ac minime vafer, ut erunt haud dubie multi eius lectores, laudes illas quibus adeo liberaliter vel prodige potius Salmaſium perfundit, ex animo ac vere dici putarit. Tum væ illis qui aliter accipi vellent; Minime intellecti ſic certe pœnas dabunt εἰρωνείας. Nunc ad rem. Controverſia hæc agitur inter Nobilem Salmaſium, & Nobiliſſimum Dominum Heinſium, de lingua Helleniſtica, & quæritur, an fuerit olim in rerum natura, & ſi non fuit, cur hodie ſit. Eſſe vult politiſſimus Heinſius, negat Salmaſius, quia

impolitus eſt, & non vult hodierno die huiuſmodi linguam aut dialectum extare, quia nec olim extiterit. Si non fuit, inquit Exercitationis auctor, tum oleum operamque perdiderit Dominus Heinſius; *Quippe ſi ita ſit, plerasque eius obſervationes ad* N. T. *pro nugis eruditis, & mortuariis gloſſariis haberi neceſſe fuerit, non ſolum eius æmulis, quorum princeps nempe eſt Salmaſius, ſed etiam ab iis qui hactenus ingenium eius ſuſpexerunt.* Fateor ego hæc quoque, cum Helleniſticæ linguæ ruina, quæ nuſquam ſtetit, ruere operis ſacri longe maximam & nobiliſſimam partem. Quocirca haud mirum, ſi tanquam pro aris & focis pro iſta lingua pugnat Nobiliſſimus Dominus, idemque vir politiſſimus, & ingenioſiſſimus. Fortunæ eius omnes hinc pendet; opes, ſalus, & fama ſummi virorum in hoc ſita ſunt. Tolle Helleniſtas, nuſquam ille nec nomine nec re futurus. Quantus quãtus eſt, totus vir ſummus peribit, niſi des, in quo conſiſtat & ſubſiſtat, Helleniſticæ linguæ fixum ac ſtabile fundamentum. Ut hæc ipſa ſit, oportet aliquos eſſe homines, id eſt, aliquam nationem quæ hanc linguam uſurparit, in propria ac nativa loquela. Eos Ἑλλωιςὰς eſſe prorſum neceſſum eſt. Et non diffitetur Exercitator, qui linguam Helleniſticam ita dictam

ab

ab Ἑλληνιστὴς concedit, ut à ποιητὴς ποιητικὴν. Ut ergo poëtæ proprios habent eloquendi modos, tam in vocabulis, quæ & ipſa *poëtica* cenſentur, quam in phraſi, quæ multum diſtat à pedeſtri oratorum & hiſtoricorum ſermone: & quemadmodum poëtæ ſunt ac dicuntur, qui peculiari ac poëtico ſermone utuntur: ſic *Helleniſtæ* vocabantur qui lingua utebantur dicta *Helleniſtica*. Ubi illi morati ſint, qua in parte terrarum ſedem ſibi fixerint, qui fuerint ipſi, magna quæſtio eſt. Ipſorum tamen nomen ab Helleniſticariis, ex antiquitate producitur: de lingua eorum fatentur neminem ex antiquis ſcriptoribus ſic Dialectum hanc vocaſſe. Ita enim ſcribunt in Sectione V. Quod profecto vix poſſum facere quin admirer. Cogniti veteribus *Helleniſtæ* fuerunt, eorumque in ſcriptis antiquorum occurrit mentio, cum linguæ illorum ſive Dialecti, quæ nunc *Helleniſtica* nuncupatur ab hodiernis doctoribus & litteratoribus, profundum apud eos ſit ſilentium. Æoles novimus cum ſua ſibi Dialecto, quos nec antiquitas ignoravit. Idem eſt de Dorici & Ionici generibus, non magis nobis ex antiquitate noſcendis traditis quam ſunt eorum dialecti Dorica & Ionica. Etiam communis & *Hellenica* vocata

auctores ſuos habet, in antiquitate & ipſos adæque celebres, Ἑλλίωας nuncupatos. Perſæ Perſica linqua loquuntur, Arabes Arabica, Hebræi Hebraica, Syri Syriaca. Et quis non populus, qui modo linguam propriam & peculiarem habuit, à ſe denominatam, nec minus inde notam quam ipſe eſt, eam de ſe dedit? Omnis lingua à natione cui naturaliter familiaris eſt, nuncupationem nanciſcitur, nec intelligitur ſine gente cuius ore enuntiatur. Hæc etiam relativa ſunt. Perſa, quatenus à Græco vel Arabe linguæ genio differt, Perſico loquitur. Et *Perſica* lingua à Perſica gente, ut *Græca* à Græcanica nuncupatur. Ergo ſic *Helleniſtica* ab Helleniſtis quibus erat naturalis vocitata eſt. Et hæc invicem reciprocantur. Si fuere ulli Helleniſtæ lingua à cæteris Græcis diverſa loquentes, ut Dores, Æoles, Iones, ab Hellenibus differente dialecto utebantur, fuit aliqua lingua Helleniſtica ab Hellenica, hoc eſt, Græca dialecto diſſentanea, ut & ab Æolica, Dorica, & Ionica. E contrario ſi detur fuiſſe lingua Helleniſtica vocabulis & phraſi ab illis quas poſuimus ſupra Græciæ dialectis diſcrepans, omnino oportet fuerint Helleniſtæ aliqui quibus hæc Helleniſtica lingua propria ac peculiaris æque fuit, ut Doribus Dorica, Ionibus Ionica, Atticis

Atti-

Attica, Hellenibus Hellenica & Græca. At *Helleniſtas* iſtos putant ſe reperiſſe noſtri Helleniſticarii: in Helleniſtica lingua laborant, quum nequeant ex ullo vetuſto auctore oſtendere qualis fuerit, quia nemo eius ex antiquis meminit. Sic fuere, quantum ad veteres attinet, Helleniſtæ quidam, qui ſeparatam ab aliis Græciæ dialectis linguam habuere, cuius tamen nullum in tota antiquitate nominis veſtigium apparet. Ne id quidem poſſunt iſti Patroni Helleniſticę ullius auctoris teſtimonio probare, qua in re hæc lingua, quam commenti ſunt, ab Græca communi dialecto diſcrepet. Ipſi quidem ſtultis aliquid dicere videntur, cum dicunt, eſſe nempe dialectum verbis Græcis conſtantem, quæ in φρασιολογίᾳ Syriaſmos & Hebraiſmos præferat admixtos. Sed hoc quo teſte, quo auctore aſſerunt? Si certa habet præter phraſes vocabula, quæ eodem ſono, ſignificatione tamen differant à Græcis vocibus, Atticis, Doricis, & Ionicis, Æoliciſque; cur veteribus omnibus Grammaticis, & Gloſſographis, tam ignorata fuit hæc dialectus Helleniſtica, ut nuſquam in πολυςίχοις ſuis Lexicis eius meminerint, nec ullam ex ea voculam prompſerint? Quod oppido perquam mirandum, in tam diffuſa, tam copioſa, quam fuiſſe volunt, lingua Helleniſti-

leniſtica, utpote quam univerſus Oriens Græce loquens uſurparet. Sic enim de ea ſcribunt. Cur Heſychius, cum paſſim minutas,& obſcuras ſingularum non gentium aut provinciarum, ſed interdum & urbium Græciæ dialectos recenſeat, voceſque ex iis allatas explicet, nihil profert ex Helleniſtica, quam nec nomine tenus memoravit? Atqui Laconicas,Creticas,Cypriacas,Rhodias,Pamphylicas, Phrygias,Cappadocicas, Lycias voculas & gloſſas, immo & Pergæas exponit. Omitto Orientales, ut Chaldaicas, Parthicas,Perſicas, Babylonicas plures, quas etiam interpretatur. Et cum auctor fuerit Chriſtianus, quid cauſæ fuiſſe dicemus,quamobrem præterieritHelleniſticas, ſi ea dialecto conſcriptam fuiſſe liquet veteris ac novi fœderis paginam, ut iſti boni viri nobis probare contendunt? Docebo illos,ſi dociles eſſe poterunt, cur nemo veterum Helleniſticæ linguæ meminerit, nec Grammaticorũ nec Gloſſographorum.Sane quia nec Doriſticæ uſpiam mentionem feciſſe leguntur, nec Æoliſticæ nec Ioniſticæ. Atqui conſtat, fuiſſe olim plures Atticiſtas, Doriſtas, & Æoliſtas,ut & Helleniſtas, cum tamen nulla fuerit lingua Doriſtica vel Atticiſtica. Ergo nec fuit ulla Helleniſtica, quamvis extiterint plures Helleniſtæ.

niſtæ. Rationem, ſi me dignum duxerint quem audiant, ſtatim illis reddam. Attica lingua communis fuit tam Atticorum ſcriptorum quam Atticiſtarum. Quod aliqui Atticiſtæ dicti ſunt, non ex eo ſequitur, Atticiſticam linguam fuiſſe nominatam qua illi in ſcribendo uſi ſunt. Attica quippe illa fuit, nec differabat ab ea Attica quam Attici ſcriptores loquebantur. Sed Atticos auctores inter & Atticiſtas hoc intererat, quod illi linguam Atticam nativam, utpote in Attico ſolo nati, habuere, iſti cum aliunde eſſent oriundi, eam addiſcebant. Belga qui noſtrum idioma edoctus eſt, tametſi de puritate ſermonis Gallici cum quolibet Gallo, ut multi Belgæ reperiuntur, contendere poſſit, *Gallaciſta* optime dicetur, ut Aticiſta, qui Atticam callebat, non Attici ſoli indigena, ſed Dorici generis vir, vel etiam Latii incola. Quam multos enim certum eſt extitiſſe Romanos cives, qui linguę Grçcæ vel Atticæ adeo periti fuerint, ut Græcis ipſis vel Atticis non concederent? Albinus ille de quo eſt apud Agellium, Hiſtoriam Romanam Græce ſcripſerat. Certe Romanus fuit *Helleniſta*. Ælianus cum Attice optime ſcripſerit, nobis quoque ſit Latinus Atticiſta. Da mihi Græcum vel Atticum, qui Latine doctus, loqui cum Romanis,

nis, & geſta Romanorum, eorum linguá litteris mandare poſſit, Græcus erit Latiniſta, vel ſi Græce dici mavis, Ἕλλην Ῥωμαϊστής. Ut Ælianus contra vel Albinus Ῥωμαῖοι fuere Ἑλληνισταί. Quis enim proprie Ἑλληνιστής? Certe omnis Ἑλληνίζων, quicunque Grçce loquitur, cui Ἑλληνὶς dialectus familiaris eſt. Cui Ἑλληνισμός notus. Pone aliquem Græcum oriundo, qui Hebraicam linguam, τὴν ἑβραΐδα διάλεκτον, τὸν ἑβραϊσμὸν noverit, nonne is Græcus erit ἑβραϊστής? Haud aliter dixeris. Quis enim ἑβραϊστὴς, niſi qui ἑβραΐζει? At qui ἑβραΐζει, id eſt, Hebraice ſcit, & loquitur, quamvis Græcus homo ſit vel Romanus, ſi linguam quam præter nativam tenet, ſpectes, optimo iure vocabitur ἑβραϊστής. Fac illum Græcum naturalem duas linguas callere, Græcam nativam & Hebraicam extraneam. Ab iſta peregrina non dicitur Ἑβραῖος, quamlibet de peritia eius certare queat cum Hebræo indigeno, ſed Ἑβραϊστής. E contra quamvis mihi opponat, Græcum illum bilinguem minus peritum eſſe ſuæ linguæ ac nativæ Græcæ quam Hebraicæ, nunquam tamen nuncupabitur Ἑλληνιστὴς, ſed Ἕλλην, quia Græcus eſt oriundo, licet melius Hebraice loquatur quam Hellenice, id eſt, Græce. Convertamus hoc. Hebræus natus, qui utramque linguam teneat,

neat, Hebraicam, id eſt, ſuam, & Græcam ſive Ἑλληνικὴν, quæ ipſi peregrina eſt, ab hac Græca dicitur Ἑλληνιστὴς, ab illa Hebræa Ἑβραῖος. Sic omnis Hebræus Græce doctus poſſit dici Ἑλληνιστής. Nec Hebræus tantum, ſed ex qualibet alia gente, quicunque Græce ſcierit, id eſt, Ἑλληνικῶς, quia poteſt Ἑλληνίζειν, id eſt, Græce loqui, poteſt etiam appellari *Helleniſta*. Non tamen qui in Novo fœdere dicuntur proprie Helleniſtici, Hebræi fuere Græce ſcientes, ut infra pluribus explicabimus. Latiſſima quippe notione omnis Hebræus Græce ſciens Helleniſta eſt, ut omnis Græcus Hebraice callens, Ἑβραϊστής. Sed nulla unquam fuit diſcretio Hebræorum naturalium inter ſe à linguæ Græcæ peritia aut inſcitia, ut alii cognominati fuerint Helleniſtæ, alii non, ſicut infra docebimus. Cum Helleniſtæ porro fuerint, quicunque nempe Ἑλληνικῶς ſciebant, nulla ideo tamen fuit lingua Helleniſtica, quia Hellenica, id eſt, Græca, communis erat tam Ἑλλήνων, id eſt, Græcorum naturalium, quam Ἑλληνιστῶν, hoc eſt, alienigenarum Græca lingua utentium, id eſt, Ἑλληνιζόντων. Cum hoc idem eſſe in lingua Attica negare non poſſint, qua communiter utebantur Attici & Atticiſtæ, hoc eſt, indigenæ Attici ſoli, & alienigenæ, qui

tamen

Digitized by Google

tamen nullam *Atticiſticam* linguam condiderunt; cur in Hellenica non concedent? Tam Ἕλληνες quam Ἑλληνισταὶ communem eam habuerunt. Ideo Hellenica in utriſque dicebatur, non Helleniſtica in Helleniſtis: ſed in Hellenibus erat naturalis illa ipſa lingua Hellenica ſive Græca, Helleniſtis vero peregrina & extranea. Ideo ab Helleniſtis non eſt deducta Helleniſtica lingua, quia non alia fuit ab *Hellenica* vel *Hellenide*, id eſt, Græca Et cum primitive ab Hellenibus dicta fuerit, quorum & propria fuit, à quibus per doctrinam in alios quoſcunque eam addiſcere idoneos tranſiit, qui & inde Ἑλληνισταὶ appellat ſunt, non viſum eſt neceſſarium, ab iſtis Helleniſtis ullam linguam Helleniſticam formare, quia ipſiſſimam illam quam Hellenes loquebantur, effingerent. Inde ab Ἕλλην omnia quæ ad linguam eorum pertinent deducta vocabula, verba, nomina, & adverbia. Ἑλληνὶς vel Ἑλληνικὴ διάλεκτος, Græcanica dialectus. Ἑλληνίζειν, Græce loqui. Ἑλληνιστὴς, qui Græce loquitur etiamſi non ſit Ἕλλην. Ἑλληνιστὶ, Græce. Ἑλληνισμὸς, Græca loquutio. Quis enim Ἑλληνιστὴς niſi qui Ἑλληνίζει, idemque cum eo qui dicitur Ἑλληνίζων? Nomina quippe verbalia Græci & participia, ut etiam Latini, indifferenter & eodem

eodem ſignificatu ponunt. Sic idem ὁ στρατευόμενος & στρατιώτης, militans & miles. Xenophonti, μεταβαλλόμενος & μεταβολεύς. ut Latinis negotians & negotiator. Sic ἑλληνιστὴς & ἑλληνίζων. Quis porro ἑλληνισμὸς niſi ſermo proprius τοῦ ἕλληνος & τοῦ ἑλληνίζοντος? Unde inter virtutes orationis à Græcis Rhetoribus recenſetur, & ſecundo quidem loco, ὁ Ἑλληνισμός. Niſi Græce loquatur Græcus orator, nihili ſit. Hinc omnia vocabula exotica, peregrina, & barbara quæ Græca non ſunt, nec Græcis optime ac pure loquentibus uſu recepta, ἀνελλήνιστα ea vocare ſolent Greci Critici. quibus opponuntur τὰ Ἑλληνικά. Nonne igitur inſaniunt iſti Helleniſticarii, qui linguam appellari vellint *Helleniſticam* quæ tota ſcatet vocibus & loquutionibus ἀνελληνίστοις, hoc eſt, minime Græcis, ſed barbaris & ἐκφύλοις? Hebraiſmi quidem & Syriaſmi Græcę orationi intermixti totidem ſunt barbariſmi. Hæc cum Salmaſius ſummo virorum Heinſio obiectaſſet, nihil reſpondit vir politiſſimus & catus. Nec ſane mirum. Ingenioſus orator, ut ille eſt, premere ſolet quæ ruſticus inepte promeret. Sic tacita multa meliora ſunt. Nemo niſi ſtultus allegat quæ contra ſe faciunt. Ἑλληνὶς διάλεκτος, Ἑλληνισμὸς, Ἑλληνιστὴς, Ἑλληνιστὶ, ἀνελλήνι-

ϛον, hæc omnia dicent eſſe grammaticalia. Sed ſunto, dum ſummos virorum illaqueent, Theologos, Exercitatores ſacros, & id genus omne qui illis Grammaticalibus tricis irretiti, inde compelluntur verum fateri. Pergamus γϱάμματα eos docere. Omnia hæc verba quæ formantur ac terminantur, ut τὸ Ἑλλωνίζειν, ſignificationem habent ſtudii, æmulationis, imitationis, affectationis, dum perſonam cui ſimiles nos reddere ſtudemus in moribus, aut veſtitu, aut lingua, aut ſuperſtitione, imitamur, effingimus & exprimimus. Μηδίζει Græcus qui pro partibus Medorum ſtat. Πατϱίζει, vel πατϱίζει, qui patrem non vultu tantum refert, ſed vita & moribus, *morum quoque filius*, ut Satyricus ait. Quem & Latini dicunt *Patriſſare.* Sic *Atticiſſare* Plauto τὸ Ἀττικίζειν, & *Siciliſſare*, Σικελίζειν, de fabula Siculi argumenti. Ξενίζειν dicitur, qui peregrinos vel voce vel habitu imitatur. Harpocration ξένῃ τῇ φωνῇ χϱῆσθαι interpretatur. Alii τῇ ἐσθῆτι. Utrumque verum pro re nata. Cuiuſcunque gentis vel perſonæ imitator; vel affectator, vocabulo ſic inde ficto ſignificari poteſt, ſive religionem ſive habitum ſive linguã ſive rem aliam quamcunque æmulari geſtiat. Ἑλλωνίζει Romanus, qui veſtitum affectat Græcanicum,

pallium,

pallium, crepidas, palliolum. Sed non ſimpliciter tunc Ἑλλωνίζειν dicitur, ſed ἐσθῆτι ἑλλωνίζειν, *veſte Græcari*, ut diceret Tertullianus. Si linguam & ſermonem Græci Latinus exprimit, etiam Ἑλλωνίζει, Græcatur, ſed voce. Si θρησκείαν Hellenis & Græci amplectatur & ſequatur aliquis, tum quoque Ἑλλωνίζειν dicitur. Inde Ἑλλωνιστὴς etiam pro gentili & idololatra, quia talis ſuperſtitio Græcorum, id eſt, Hellenum. Quem & ἑλλωνισμὸν propterea appellat Epiphanius, ut Σκυθισμὸν, Scytharum religionem, Ἰουδαϊσμὸν, Iudæorum. Atque ita de cæteris. Ex eo Ἑλλωνισταὶ non unius generis veniunt. Sunt qui religionem Græcorum ſectantur, ſunt qui ſermone eorum utuntur. Ἀπὸ χριστιανῶν Ἑλλωνιστὴν Ammonium factum Suidas dixerat, id eſt, ex Chriſtiano ſectæ vel ſuperſtionis Græcanicæ & gentilis ſtudioſum. Obiicitur hic Salmaſio μνημονικὸν ἁμάρτημα, quia apud Suidam legatur hodie, Ἕλλην, non Ἑλλωνιστής. At certus ſum, Salmaſium non eo errore ibi lapſum, ſed alio loco apud Suidam locum ita conceptum, ut retulit, reperiſſe. Sed ſit hoc eius σφάλμα memoriæ, quid ad rem? Meminerat forſitan, eum Ammonium à Photio Ἑλλωνιστὴν eo ſenſu appellatum. Ideo Suidam pro Photio memoriæ ignoſcendo

lapſu nominavit. Sic enim Photius ſcribit de Socrate Hiſtorico: ὁ δὲ συγγραφεὺς παρὰ Ἀμμωνίῳ καὶ Ἑλλαδίῳ Ἀλεξανδρεῦσι γραμματικοῖς ἔτι παῖς ὢν τὰ τῆς γραμματικῆς ἐδιδάσκετο, Ἑλληνισταῖς οὖσι. Ita Ammonius Photio Ἑλληνιστὴς ſuperſtitione, qui Ἕλλην Suidæ, id eſt, gentilis. De re ipſa non diſſentiunt, quin Ἑλληνιστὴς eũ Græcis ſignificet, qui τῇ θρησκείᾳ Ἑλληνίζει, & ſuperſtitionem Græcorum, qui Ἑλληνισμὸς dicitur Epiphanio, ſequitur. Non minus Ἑλληνίζων dicitur, nec minori iure Ἑλληνιστὴς dici poteſt, qui & linguam Græcorum æmulatur, & qui Græce loquitur. Non tamen quærendum, an ab hoc huiuſmodi Ἑλληνιστῇ lingua ulla Ἑλληνιστικὴ dicta ſit, quia nulla eſt nec ulla veteribus hoc nomine memoratur. Nam ſi ulla uſpiam latet hac forma denominata, non alia poſſit eſſe præter Ἑλληνίδα vel Ἑλληνικήν. Quia Ἑλληνιστὴς eſt Græce doctus: Ἑλληνισμὸς Græca loquutio: Ἑλληνίζειν Græce ſermocinari: Ἑλληνιστὶ idem quod Græce: ἀνελλήνιστον quod Græcum non eſt, barbarum & peregrinum vocabulum. Sic cum nulla ſit ſpecialis lingua Helleniſtica, quæ ne nominata quidem veteribus, ſed ſi ſit debeat eſſe communis omnium Ἑλληνιζόντων, eademque cum Ἑλληνίδι, inquirendum potius, qui ſint

illi

illi Helleniſtæ Actorum, à quibus tanquam auctoribus arceſſunt linguæ ſuæ Helleniſticæ originem. In hoc igitur cardine nunc tota verſatur quæſtio, Ἑλληνισταὶ, illi quorum in Actis aliquoties fit mentio, quinam fuerint, unde dicti ſint, & an linguam ullam Helleniſticam ab ipſis vocatam propriam ac ſpecialem habuerint, quaſi dialectum peculiarem, Græcis aliis incognitam & inuſitatam. Hoc iam campo decurramus. *Ait Nobiliſſimus Heinſius, Salmaſium, ex parte ſecutum Bezam, exiſtimaſſe, eos nec Hebraice ſciviſſe, nec Iudæos genere aut origine fuiſſe, ſed προσηλύτους ex Græcis, qui Græce loquerentur.* Neſcio ego, utrum ex parte, an ex toto, ſequutus ſit in hac opinione Reverendum Bezam, ſed cum Salmaſio plane ſentio, Ἑλληνιστὰς illos Hebraice neſciſſe, ſed Grece, nec Iudæos origine aut genere fuiſſe. Aut proſelyti ergo fuerunt Græci, aut certe proſelytorum filii & nepotes. Nam & hoc Salmaſius vult, cui hac in parte etiam aſſentior. Ut probet ille, non fuiſſe Iudeos origine, adduxit verſum xx. ex cap. xi. Actorum, & aperte ex eo colligi dicit, diſcerni Ἑλληνιστὰς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων. Sic enim ſcribit Lucas. Ἦσαν δέ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι, καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες ἐξελθόντες εἰς Ἀντιόχειαν ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, εὐαγγελιζόμενοι τὸν λό-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

γονκυεῖς. *Præcedente*, inquit Salmaſius, *verſiculo, nomine Iudæorũ intelliguntur ii, quibus ſolis verbũ adnuntiabant, qui ex perſecutione Stephani facta diſperſi fuerant per diverſa loca Domini diſcipuli*. Ad hęc Salmaſii verba reponit ſummus virorum Heinſius, *bonum factum eſſe, quod præcedens verſiculus non ſit adſcriptus, ut aſciam enim reſilire in crura Salmaſii*. Ridiculum. Quaſi adſcriptus plus nociturus citanti fuerit quam allegatus. Sic igitur ille verſiculus, quem nunc pro malleo incutiemus in caput ac cerebrũ ſummi viri. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ, διῆλθον ἕως Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Ἀντιοχείας, μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. Quid clarius, inquit vir ſupremus virorum, à Luca dici potuiſſet contra Salmaſii ſententiam? *Verſu* XIX. *dicitur, diſperſos poſt afflictionem nemini loquutos fuiſſe niſi ſolis Iudæis: verſu ſequenti additur, loquutos fuiſſe* πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. *Quis*, inquit, *niſi* ἄλογος, *inde colligat*, τοὺς Ἑλληνιστὰς *fuiſſe Iudæos*? Ego, qui ἄλογος non ſum, non tamen ſic colligerem. Priore verſiculo dicitur, diſſipatos Chriſtianos poſt perſecutionẽ Stephani, peragrata Phœnice, Cypro, & Antiochia, nemini verbum Domini adnuntiaſſe niſi ſolis Iudæis. Additur ſequenti verſu, quoſdam ex his Cyprios & Cyrenæos viros, cum Antiochiam in-

ingreſſi eſſent, colloquutos fuiſſe cum Helleniſtis, & Euangeliũ iis prædicaſſe. Nemo non inde argumentetur, diverſos illos fuiſſe Iudæos, quibus ſolis loquebantur verbum Domini omnes illi, quos profugiſſe dicit Hieroſolymis, ut vitarent perſecutionem quæ Stephanum occiderat, ab Helleniſtis illis, quibus colloquuti ſunt quidam ex iis profugis qui Cyrenæi domo erant & Cyprii. Nec aliter interpres Gallicus accepit, ut ex eius verſione apparet. Cum primo, qui profugerunt ex Chriſtianis ob perſecutionem qua poſt necem Stephani vexabantur, Antiochiam uſque perveniſſent, non niſi Iudæis ſolis Euangelizantes, ſtatim adiungit ſequente verſiculo, quoſdam tamen ex illis Cyrenenſes, qui erant & Cyprii, Antiochiam ingreſſos, non Iudæis ſolum, ſed etiam Helleniſtis verbum Domini prædicaſſe. Quid clarius quam hos Helleniſtas alios fuiſſe à Iudæis? Unde iſta exceptio quorumdam, qui, cæteris nolentibus niſi cum Iudæis verbum Dei communicare, cum Helleniſtis, id eſt, non Iudæis, communicarunt? In eadem urbe Antiochiæ ſolis Iudæis profugorum ob perſequutionem Chriſtianorum plerique verbum adnuntiabant, nonnulli vero ex illo numero Cyprii & Cyrenenſes etiam Helleniſtas hoc eo-

dem Euangelio participarunt. Οἱ μὲν οὖν, iſti ſunt, qui nemini de Chriſto loquebantur, niſi qui Iudæus eſſet: τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν, quidam vero ex illis, etiam Euangelizarunt Helleniſtis, id eſt, aliis quam Iudæis. An quicquam apertius dari poteſt? Nec ſane intellexerunt omnes interpretes. Cyrenenſes autem illi &Cyprii duplici modo poſſunt accipi: vel de Iudæis Cypriis & Cyrenenſibus, qui Chriſto nomen dederant, vel de Cypriis & Cyrenenſibus proſelytis æque Chriſtianis. Tempore quippe quo Stephanus martyrium paſſus eſt, Eccleſia Chriſti nondum gentibus patebat, ſed ſolis conſtabat vel Iudæis veris qui fidem erant amplexi, vel proſelytis Iudæorum. Utriuſque generis intelligi queunt illi Cyrenenſes & Cyprii diſcipuli Chriſti qui Hieroſolymis profugerant poſt cædem Stephani. Sed magis eſt, ut de Iudæis veris eos accipiamus, id eſt, originariis Iudæis. Nam vocabantur Iudæi à loco originis ſuæ. Ut Cyprii autem & Cyrenenſes Græce loquebantur, ita & Iudæi inter eos nati eadẽ quoq; lingua utebantur. Ideo huiuſmodi Iudæi inter Græcos nati & educati, & Græce callentes, potuerant ſermonem habere cum Helleniſtis Antiochenſibus, qui Proſelyti erant natione Græci. Vide

caput

caput 11. Actorum verſ. x. ubi ſit mentio Iudæorum Cyrenenſium. Certe Helleniſtæ in Actis non alii ſunt, quam quos diximus. Addit Exercitator, hoc eſt, Heinſius, vel Heinſianus aliquis: *Animadvertit hoc Oecumenius*. Quid animadvertit? Ἑλληνιστὰς fuiſſe Iudæos origine? Ubi hoc dixit Oecumenius? Sic enim, inquit, ad præcedentia verba commentatur. *Fortaſſis eo Græcos ipſos appellabant quod Hebraice ſonare non poſſent.* Non potuit aliter interpretari Helleniſtas Oecumenius, quam Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους. Ex linguæ quippe quam vernaculam habuit proprietate non alius eſt Ἑλληνιστὴς, niſi Ἑλληνιστὶ λαλῶν. Sed quod addit vir ingenioſiſſimus, *Erant enim origine Iudæi*: hoc non Oecumenii eſt. Ipſe hoc illi adſuit. Ex quo tamen παραῤῥάμματι auſus eſt dicere, Oecumenium animadvertiſſe, Helleniſtas fuiſſe Iudæos origine. Quid ſi & alium ex Actis locum obtrudamus viro politiſſimo, ubi Iudæi ab Helleniſtis diſtinguuntur? Actorum cap. IX. verſ. XXII dicitur Paulus poſt converſionem *confutaſſe Iudæos, qui Damaſcum incolebant*. Eodem cap. verſ. XXIX, *contra Helleniſtas diſputaſſe* perhibetur. Cum tam propinquis ſpatiis Iudæos & Helleniſtas quaſi diverſos memoret, quis niſi ἄλογος putare queat, eoſdem

 eſſe?

eſſe? Tertius reſtat locus, nam tres omnino ſunt in Actis, in quo mentio fit Helleniſtarum: ubi etiam ſeparantur ab Hebræis, capite nempe VI. Ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους. Quo ex loco Salmaſius doceri nos pertendit, non fuiſſe Iudæos origine iſtos Helleniſtas, quandoquidem ubique à Iudæis & Hebræis ſeiunguntur. Hic nobiliſſimus & clariſſimus Heinſius argutatur, notari debere, confundi à Salmaſio Ἑβραίους & Ἰουδαίους. An hæc confuſio eſt ubi diſtinguenda diſcernuntur? Cum duobus locis Actorum Helleniſtæ à Iudæis ſeparentur, tertius ab Hebræis eoſdem ſegreget, an potuit aliter facere Salmaſius, quam Iudæos & Hebræos eoſdem ſtatuere, Helleniſtas vero ab utriſque diverſos? Quis unquam audivit, Iudęos ab Hebræis alios eſſe? Aut Iudæos proprie dictos eſſe Helleniſtas, cum Hebræi non eſſent Helleniſtæ? Negabuntur Paulum fuiſſe Hebræum? Ipſe hoc de ſe affirmat, Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ. *Hebræi ſunt? Ego quoque.* An Paulus Græce neſciit? Non dicent. Ergo etiam Ἑλληνιστὴς fuit. Quis enim Ἑλληνιστής, niſi Ἑλληνίζων, aut Ἑλληνιστὶ λαλῶν? Ergo Hebræi Græce ſcientes & loquentes, etiam Helleniſtæ cum fuere, tum dici potuere. Cur igitur in Actis, aut quo iure, diſtinguuntur ab Hebræis

bræis Helleniſtæ, item à Iudæis? Velint nolint, non poterunt efficere, quin Hebræus & Iudæus idem ſit, cum in Actis æque à Iudæo, ut ab Hebræo, diſcernatur Helleniſta. Ut Ἑϐραῖοι ab Hebero dicti, ita Iudæi à Iuda. Ἑϐραῖοι, *addit Exercitator, quibus opponuntur* Ἑλληνισαὶ, *erant illi de Iudæis, qui tum Hebraice ſciebant, tum Hebraica lingua in Synagogis ſuis utebantur.* βαθεῖς Ἑϐραῖοι *vocantur à Chryſoſtomo.* Ex illis Hebræis qui Hebraice ſciebant, & Hebraica lingua in Synagogis ſuis utebantur, nulli ne fuerunt qui Græce intelligerent, & loquerentur? Immo puto, pauciſſimos fuiſſe Hebræorum illo in tempore, qui in Græcia & Aſia manebant, quin Græce ſcierint. Ut hodie nemo fere eſt Iudæorum, ſive Hebræorum, qui in Germania domicilium habent, qui nõ Germanicam linguam calleat: ſic Itali Iudæi Italice norunt: Galli Gallice: Luſitani Luſitanice: Belgæ etiam Belgice. Cur non idem de Græcis olim Iudæis ariolabimur, Græcæ linguæ notitiam eos habuiſſe? In Græcia nati, educati, cur ignoraſſent dialectum eius civitatis ex qua oriundi erant? Similiter per totum orientem diſperſos hodieque Iudæos videmus earum nationum idioma perfecte callere, inter quas naſcuntur, negotiantur & converſantur. In Armenia

menia nati ac degentes Armeniacam linguam tenent. In Perſide Perſidem, in Turcia Turcicam, in India Indicam. Paulus Tarſenſis præter Cilicum idioma, cui aſſueverat, nec Hebraicæ linguæ, hoc eſt, ſuæ, expers fuit. Ab iſta Hebræus, ab illo Helleniſtes fuit. Nam & Cilices Ἑλληνί-ζοντες. Iudæos, qui illa ætate Romæ vivebant, poſſit ne aliter aliquis credere, quin & Latinum ſermonem imbiberint? Cur hodie quiſquam putet, qui Romæ ſunt Iudæos noſſe melius Italicum ſermonē, quam olim, ſiqui in urbe habitarunt, Latinum? Certe Græcos olim Iudæos, & Gręcarum urbium non ſolum inquilinos, ſed etiam vernas, Gręca loquela imbutos fuiſſe, pluſquam veriſimile eſt, quia verum eſt. Si Græce intelligebant, certe & Ἑλληνίζοντες fuere, & Ἑλληνισταί. Quis aliud dicere auſit? Ἑβραῖοι, inquit Exercitator, quibus opponuntur Ἑλληνισταὶ, vocantur βαθεῖς Ἑβραῖοι à Chryſoſtomo. Qui ſunt iſti βαθεῖς Ἑβραῖοι? Quo ſenſu ſic appellantur? Ex oppoſitis Helleniſtis hoc facile intelligemus, quos virorum ingenioſiſſimus gente quidem & domo fuiſſe Iudæos affirmat, ſed minus profundos & Exactiatos. Hoc quid verbi ſit, parum intelligo. An voluit *exaſciatos*? An *exactos*? Hoc potius. Ergo Helleniſtæ Iu-

Digitized by Google

Iudæi quidem origine, ſed minus profundi & exacti. Quæ profunditas maior in illis Hebræis quibus opponuntur Helleniſtæ, cum par origo ſit utrorumque? Cur iſti minus quam illi exacti? An quia minus exacte linguam Hebraicam callebant Helleniſtæ, quam perfecte didicerant Hebræi? Mira ratio quam ſubiicit vir ſummus. *Legebant enim in Synagogis* Ἑλλωνιστὶ, *ſive, ut Talmudiſtæ loquuntur*, אלינכתין. An quia legebant in Synagogis ſuis Ἑλλωνιστὶ, ideo minus erant profundi & exacti? Sed mirum, cur dixerit, eos legiſſe Ἑλλωνιστὶ, & non potius Ἑλλωνικῶς. Nam ſi propria eorum lingua fuit *Helleniſtica*, quæ ab ipſis hoc nomen invenit, non Ἑλλωνιστὶ, id eſt, Græce, ſed Ἑλληνικῶς legebant, id eſt, *Helleniſtice*, ſive Helleniſtica lingua. En ut vel invitis ipſis excidit, linguam Helleniſticam non differre ab Hellenica & Græca! Non ſuum tamen hoc ſomnium eſſe narrat, aut Scaligeri coniecturam, ſed ipſius Chryſoſtomi ſententiam. Videamus. Is in Homilia XXI. ad Acta ita ſcribit: Ἑλλωνιστὰς, τοὺς Ἑλλωνιστὶ φθεγγομένους λέγει. καὶ τοῦτο σφόδρα σοφῶς. ἐκεῖνοι γὰρ ἄλλοι. οὐδὲ ἰδεῖν αὐτοὺς ἠθέλησαν οἱ βαθεῖς Ἑβραῖοι. Certe ex iſtis verbis Chryſoſtomi liquet, Ἑλληνιστὰς iſtos Græce, id eſt, Ἑλλωνιστὶ, loquutos eſſe, non Ἑλλωνιστικῶς, id eſt, Helleniſtica lingua.

gua. Nec aliter potuit exponere, cum Ἑλληνιστὴς idem ſit qui & Ἑλληνίζων, ut ſupra docuimus, vel ἑλληνιστὶ φθεγγόμενος. Hic vir nobiliſſimus βαθεῖς Ἑβραίους reddidit *intime Hebræos*. Quis ſit *intime Hebræus*, haud magis percipio, quam intime Gallus, intime Latinus, intime Græcus. Paulo ante interpretabatur *profundum & exactum Hebræum*. An, quia iſti Hebræi magis callebant Hebraiſmum quam Helleniſtæ, ideo profundi dicti ſunt & intime Hebræi? Ita certe videtur intellexiſſe vir profundæ & exactæ eruditionis, & intime, ut cum ipſo loquar, doctus. Age ſic rem hanc putemus exacte & intime. Inter Hebræos illos ipſos profundos fuere quidam etiam minus profundi. Exempli gratia, Ex iis quidam Rabbini fuerant ac magiſtri. Si ad horum doctrinam cæteros de vulgo compares & conferas Hebræos qui non tam exactum linguæ cognitionem habebant, ut erant idiotæ & plebeii, rurſus iſti Helleniſtarum loco erant cenſendi, quibus opponi poterunt οἱ βαθεῖς Ἑβραῖοι, profundi nempe & exacti in cognitione linguæ & diſciplinæ Hebraicæ. Inter Helleniſtas ipſos quoque haud dubium eſt quin fuerint huius & illius generis, quidam multum profundi in Helleniſtica lingua, alii minus. Sic alii dicentur

βα-

βαθεῖς Ἑλληνισταὶ, alii ἀβαθεῖς. At, ſi virum generoſum audiamus, ipſi Helleniſtæ ideo opponuntur illis βαθέσιν Ἑβραίοις, profundis Hebræis, quia Hebræi quidem & ipſi, ſed non profundi. Sic enim apud eum ſequitur: *Contentiones interceſſiſſe inter profundos hos Hebræos & Helleniſtas pæne inexpiabiles, ex laudato ſexto capite Actuum liquet*. Ergo Helleniſtæ Hebræi quoque, ſed non profundi. Fundum certe hoc nullum video. Et neſcio quomodo emerſurus ſit vir ingenioſiſſimus ex tam profundis νεκροπήλοις, quibus totum eum immerſum & obrutum cum indignatione minore quam miſericordia deſpicio. Βαθεῖς Ἑβραίους appellat Chryſoſtomus & poſt eum Oecumenius, τοὺς ἀνέκαθεν Ἑβραίους, antiquos & ab ultima origine Hebræos Iudæoſve. Eos opponit Helleniſtis, quos planum eſt ab eo haberi quaſi novos, & novitios Iudeos vel Hebræos, utpote proſelytos aut proſelytorum nepotes, Græca lingua utentes, non ab omni ævo Iudaiſmum, ut illi βαθεῖς Ἑβραῖοι, ſed à certo tempore profeſſos, ex quo huic ſectæ aut patres eorum aut ipſi nomen dederant. Sic antiquos nobiles novis diſcernere liceat, ut illi ſint βαθεῖς εὐγενεῖς. Quod de novis non poſſit dici, qui vel ipſi vel quorum patres, vel avi, nobilitati ſunt. Ex his plane

plane liquet, Chryſoſtomũ, &, qui eum ſequuntur, Græcos interpretes, Helleniſtas intellexiſſe de proſelytorum filiis vel proſelytis qui ad Iudaiſmũ acceſſerant ex Græcis. Ideo Græce tantum norant, in Synagogis lingua Græca utebantur, & Biblia verſa in Græcum ſermonẽ legebant, quia Hebraïce neſciebant. Hos opponit βαθέσι Ἑβραίοις, id eſt, Hebręis originariis. Iſti enim, Hebręi vel Iudæi etiã habiti, ſed de novo facti. Et ſane Iudæi appellatio cũ latiſſime accipitur, tam veteres Iudæos, hoc eſt, βαθεῖς Ἑβραίους, quã novos comprehendit, id eſt, Ἑλληνιστὰς ſive proſelytos ex Græcis, qui Helleniſtæ ſunt aut ex aliis nationibus. Nam vox proſelyti latius patet quam Helleniſtæ, cum proſelytus non Helleniſtam ſolum, ſed ex quacunque gente accedentem Iudaiſmo denotet. Nam in illis Apoſtoli verbis, Ἰουδαίῳ πρῶτον, εἶτα καὶ Ἕλληνι, nomine Iudæi, quemcunque profeſſum Iudaicam religionem, ſive antiquum Hebræum, ſive novum, & ex Græcia proſelytum, vel proſelytorum progeniem, complectitur. Ut ſub Ἕλληνος nomine quicunque gentilis, & paganus, intelligitur. Nec enim ibi Apoſtolus Ἑλλήνων appellatione eos qui ab Ἑλλήνων θρησκείᾳ diſceſſerant, intellexit, quos Ἑλληνιστὰς vocarunt proprie Apoſtoli.

Idolo-

Idololatræ iſti fuerant, id eſt, Ἕλληνες, ſed non amplius erant. Et Ἑλληνισταὶ vocabantur, id eſt, Iudæi profeſſione ac religione, ſed Græco tantum ſermone, id eſt, patrio utentes. Poſtquam dixit vir Nobiliſſimus, inter profundos Hebræos & Helleniſtas internecinũ ſemper interceſſiſſe odium, ſubiungit, *Apoſtolum vero Paulum infeſtiores perpetuo expertum fuiſſe Hebræos, quamvis Hebraice ſciret, & ex eorum ſecta oriundus eſſet.* Cur hoc adiiciat, neſcio. Apparet tamen, ideo iſtoc ſubnectere, ex occaſione contentionum, quas inter profundo Hebræos, & Helleniſtas, inexpiabiles interceſſiſſe hic dixit. An igitur Paulum pro Helleniſta habuit? Ita videtur. Inde ergo & expertus fuerit infeſtiores profundos illos Hebræos, ex nativo quod inſitum erat utrique parti inter ſe odio. *Quamvis*, inquit, *& Hebraice ſciret.* Ergo fuere quidam Helleniſtæ, etiam Hebraice intelligentes, ut hic Paulus, quem proinde & profundum Hebræum pariter & Helleniſtam fuiſſe liquet. Ex illis autem profundis Hebręis qui Hebraice ſciebant, & lingua Gręca in Synagogis ſuis utebantur, quę definitio eſt Heinſiana profundi Hebręi, nulloſne putamus extitiſſe qui Gręce ſcirent? Immo plures liquet fuiſſe, etiam Hieroſolymis. Nam qui per Gręciam

ciam diſperſi erant, omnes fere Græce intellexiſſe veriſimile eſt. Ergo & iſti ſimul profundi Hebræi , ſimulque Ἑλληνισταὶ, ex interpretatione Chryſoſtomi , id eſt, Ἑλληνιστὶ φθεγγόμενοι . Cur iſta ſic ſint, ſatis laborabit vir ingenioſiſſimus in reperiunda vera ac ſpecifica differentia Helleniſtæ & Hebræi profundi , ſi diſcedat à Salmaſiana. Preterea quod ait, Paulum, forte quod eſſet Helleniſta, ideo infeſtiores ſemper expertum fuiſſe Hebræos, quam id certum ſit, non video. Non enim minus inviſus fuit Helleneſtis & Iudæis, ſiquidem Iudæos ab Hebræis diſtinguendos putat virorum ſummus. In Actis capite IX, cum Iudæos confundere conaretur, in eius necem conſpiraſſe dicuntur. An potuit infeſtiores experiri profundos Hebræos, quam hos habuit Iudæos, qui inſidias vitæ eius moliti ſunt? Eodem capite non minus capitales hoſtes ſenſit ipſos Helleniſtas , qui & ipſi eum occidere voluerant. Nihil peius in eius caput ſuere potuerunt Hebrei illi profundi. Odii cauſa, tam Hebræorum, quam Iudæorum, qui iidem erant, quamq; etiam Helleniſtarum , qui Iudaiſmum amplexi fuerant , manifeſta eſt. Quia nempe à religione quam profeſſus antea fuerat, deſciviſſet, & novam, id eſt, Chriſtianam,

amplexus eſſet, quam æquali odio Iudæi, ſive Hebræi ἑβραῖοι, & Helleniſtæ, id eſt, proſelyti Græci, proſequebantur. Tam Helleniſtarum, quam Hebræorum ſive Iudæorum, una eademque fuit religio, nempe Iudaiſmus. Quem cum deſeruiſſet Paulus, æque his inviſum quam illis fuiſſe haud mirum. Addit Exercitator: *Ordinatus quippe erat Apoſtolus gentium, & ſæpe intrabat Synagogas Helleniſtarum. Exempla occurrant Actorum* XIII. *&* XIV. *& alibi.* In illis capitibus nulla fit mentio Helleniſtarum. Quod Lucas ibi meminerit Synagogæ Iudæorum, ſi per Iudæos vir politiſſimus intelligit Helleniſtas, toto cœlo errat. Et tamen certum eſt, ita eum Iudæos cum Helleniſtis eoſdem facere, ut utroſque diverſos ab Hebræis quos profundos appellat, ſtatuerit. Actorũ capite XIII. verſ. XLIII. Iudæorum mentio fit & proſelytorum Deo ſervientium, qui Paulum & Barnabam ſequuti dicuntur. Proſelyti illi cum Iudæis iunctim memorati, non alii ſunt præter Helleniſtas, id eſt, Græcos, aut etiam aliarum gentium proſelytos. Nam ut ante diximus, proſelytorum notio latius extenditur quam Helleniſtarum, quia Helleniſta Græcus eſt, vel Græco ſermone utens proſelytus, cum fuerint apud Iudæos aliarum gentium proſelyti, Syri ſcilicet,

 Medi,

Medi, Elamitæ, Perſæ, Aegyptii. Ridiculum porro, inter cauſas odii quo Paulum Hebræi proſequebantur, & hanc referre quod Helleniſtarum Synagogas ſæpe intraret; qui ſcilicet haud minus infenſos pateretur Helleniſtas quam ipſos Hebræos. Sequitur apud Exercitatorem Helleniſticarium: *Hinc & ab iis diſcerptus fuiſſet, niſi Hebraice loquendo placaſſet. Act.* xxi. *cap.* v. *ult*. Ab iis nempe Helleniſtis de quibus proxime apud eumdem Exercitatorem præceſſit. Certum tamen eſt, de Hebræis illum loqui velle, & quidem profundis, quos inter & Helleniſtas pluſquam odium Vatinianum interceſſiſſe vult vir ſummus, quos Hebræos tam à Iudæis quam ab Helleniſtis diſtinguit. Atqui capite illo xxi. Actorum non nominantur Hebræi, ſed Iudæi, & quidem Aſiatici. An Hebræos fuiſſe ideo cenſet quia Paulus alloquutus eſt eos Hebraice? Ita velle videtur. Non enim niſi Hebraice intelligentes hoc ſermone eſſet affatus Paulus. Cum Hebraice intelligerent, Iudæos tamen eos appellat Lucas, & ex Aſia fuiſſe docet. Ergo nulla iam inter Hebræos & Iudæos differentia, ſed nec inter Helleniſtas, & Hebræos, ſi auſcultamus Helleniſticario patrono. Hebræi enim & Iudæi iidem, ut ex Luca conſtat ex inter-

preta-

pretatione Exercitatoris. Deinde, idem Iudæos & Helleniſtas eoſdem facit. Ergo Hebræi Iudæi & Helleniſtæ iidem. Lucas tamen contra ſtat, qui duobus locis Helleniſtas à Iudæis ſeiungit, tertio Hebræos ab Helleniſtis alios facit. Sic Lucæ Hebræi & Iudæi iidem, *Helleniſtæ* vero ab utriſque diverſi. Pergit Exercitator, & ait: *Ad eoſdem Hebræos Epiſtolam ſcripſit, cui nomen ſuum propterea non præfixit, quod ſciret, admodum inter eos eſſe exoſum. Prætermiſſi nominis, hæc ut opinor cauſa eſt, ne quis alias inveſtigando ſe delaſſet.* Ad eoſdem Hebræos, id eſt, βαθεῖς illos & profundos, exactos & intime Hebræos, Epiſtolam Pauli ſcriptam eſſe vult. Sed cur non æque ad alios, minus profundos, ut erant Iudæi & Helleniſtæ, cum omnia quę Epiſtola continentur religionem Iudæorum ſpectent, & cæremonias, ſacrificiaq; eiuſdem gentis, quę communia erant tam Ebræorum illorum quam aliorum Iudæorum? An quia Iudæi non intelligebant Hebraice? Hoc de Helleniſtis verum. Ad quos ſi ſcripſiſſet Paulus, ſine dubio Græco ſermone Epiſtolam exaraſſet. Sed alii omnes Iudæi Hebraice norant, tam bene fortaſſe quam Paulus ipſe, præcipue legis doctores, quos turpe fuiſſet legem docere, in ea meditari, & linguam qua ſcripta erat

non aſſequi. Ratio porro frivola eſt, nomen ſuum ei Epiſtolæ non præfixiſſe Paulum, quia ſciret, iis Hebræis admodum eſſe exoſum. Qui ubique & paſſim non dubitabat, aperto capite cum iis pedem conferre, diſputare, eos confutare, præſens præſentes, per Epiſtolam id facere veritus eſſet, cui nomen ſuum inſcriberet? Hæc puſillanimitas non convenit libertati & fiduciæ Pauli. Si miſit ad eos hanc Epiſtolam, ſcire ſane debuerunt à quo ſibi miſſa veniret. Cuius enim auctoritatis foret Epiſtola non ſolum ſine nomine, ſed etiam cuius auctor ignoraretur? Si auctores ſciverunt, nonne hoc idem valuit ac ſi nomen ei ſuum adſcripſiſſet? Veretur vir ſummorum ſummus, ne quis alias præter hanc cauſas prætermiſſi nominis Pauli in Epiſtola Paulina inveſtigando ſe delaſſet. Neſcio an multũ laboraverit in ea reperiunda, ſed ſcio, potuiſſe, immo & debuiſſe huic laſſitudini parcere, cum vario labori indulſerit. Nihil enim illa cauſa falſius. Non multum mihi fuit æſtuandum in multo meliore ac veriore inveniunda. Cum meminiſſet Paulus, ſe Apoſtolum eſſe gentium, non Iudæorum, quæ cura Euangelii circumciſis prædicandi Petro commiſſa fuerat, ut apparet ex Epiſtolæ ad Galatas cap. 11, ne videretur

retur falcem in alienam meſſem immittere, ſi ad Iudæos ſcriberet, qui tamen multa haberet, de quibus neceſſe eſſet per ſe eos admoneri, ſcripſit quidem ad eos hanc Epiſtolam, ſed nomen ſuum non adpoſuit. Scripſit eam Hebraice, ut legeretur ab Hebræis qui Græce neſciebant. Quæ & verſa eodem tempore in Græcum ſermonem, editaque eſt, ut ab Helleniſtis & aliis Iudæis Græce callentibus legi poſſet. Sine nomine ſuo eam porro publicam voluit, ne Apoſtolis, quibus erat commiſſa Hebræorum ſive Iudæorum converſio, præripere videretur quod muneris illis fuerat deſtinatum. Et hæc quidem valde veriſimiliter dici queunt, ſi Paulina illa eſt Epiſtola. De quo dubitatur à multis. Nec litem hic eam decidemus. Poſt hæc ſubiicit ſummorum ſummus: *Ex his liquide conſtat, apud Lucam* Ἑβραίους *alios eſſe à Iudæis, nec eos, ut vult Salmaſius, opponit* τοῖς Ἑλληνισταῖς. Hoc plane eſt ἀεροβατεῖν. Nec enim in iis quæ apud eum præceſſerunt, ullum ex Luca argumentum vel teſtimonium prolatum extat, unde conſtet, Hebræos alios eſſe à Iudæis. Contraria omnia ex eo probantur. Quod Hebraice loquendo placaverit Paulus Iudæos qui ipſum diſcerpere volebant, non ex eo ſequitur, Hebræos à Iudæis diverſos

 à Lu-

à Luca poni. Nam diſerte capite illo Actorum Lucas eos Iudæos & quidem Aſiaticos appellat, non Hebræos. Si Hebraice ſciverunt, adeo ut neceſſe habuerit alloqui eos Paulus Hebraice, non ex eo conſtat, Hebræos à Iudæis fuiſſe diverſos. Hoc quidem dici poteſt, Iudæos fuiſſe Hebraice callentes. Quid ſi etiam Græce ſciſſe eos dicemus? quis prohibebit? Quid ſi Paulus alia qua ex cauſa eos Hebraice affatus eſt, quam ex neceſſitate quod aliam linguam ignorarent? Aſiatici fuere illi Iudæi, quos probabile eſt non neſciſſe linguam eorum locorum unde erant oriundi. In Aſia minore, lingua Græca paſſim in uſu erat. Immo nec alia ibi fere frequentabatur. Præterea non illos Iudæos Aſiaticos alloquutus ibi dicitur, ſed Hieroſolymitanos. Iudæi quidem illi Aſiatici qui Paulum in templo viderant, turbam Iudæorum Hieroſolymitanorum adverſus eum concitarunt, accuſantes quod templum pollueret, Græcos introducendo. Ad illam ſeditionem & tumultum totus accucurriſſe fertur populus Hieroſolymitanus, qui Paulum prehenſum, & extra templum eiectum, conabantur interficere, niſi Tribunus Cohortis cui cuſtodia templi credita erat, ad tumultum excitatus, cum centurionibus & militibus

eo

eo properans, Paulum iniecta manu captũ, & vinculis oneratum, tenuiſſet. Ex illis vinculis permiſſu Tribuni populum alloquutus eſt Ἑβραΐδι διαλέκτῳ. Ea ſcilicet quæ populo Hieroſolymitano familiaris erat. Ad populum enim verba feciſſe dicitur, non ad ſolos legis doctores, & Hebræos profundos & exactos, & intime Hebræos. Ut eos igitur ſibi magis conciliaret, & oſtenderet, ſe legis exactum fuiſſe auditorem & obſervatorem, utpote qui ad pedes Gamalielis educatus & eruditus fuiſſet, ut ibidem ipſe, dum populum alloquitur, dixit. Et capite ſequenti ſcribit Lucas, attentiorem populum eſſe redditum quod loquentem Paulum Hebraice audiret. Hebræum ſermonem, quo tum uſus eſt Paulus, defæcatum fuiſſe ab omnibus Syriaſmis, vult Exercitator Helleniſticarius, ob dictam, inquit, rationem. Quam rationem? Nec enim memini, ullam ab eo allatam? An ut videatur Paulus ex profundis illis Hebræis eſſe? At populus qui audiebat & intelligebat, haud minus βαθὺς Ἑβραῖος fuerit. Populus porro ille vere Iudæorum fuiſſe exiſtimandus, ſiquidem illi proprie Iudæi dicti videntur, qui in Iudæa habitabant. Quomodo igitur nobis Hebręos illos profundos à Iudæis diſtinguet Exercitator? Hebræus

ſermo purus & putus, quo ſacra ſcriptura veteris teſtamenti concepta eſt, non magis frequens ac familiaris in Iudæa, & ipſa urbe Hieroſolymitana, illo tempore videtur fuiſſe, quam in Aſia, & Græcia, inter Iudæos earum nationum. Syriaca lingua vulgo uſitata erat Hieroſolymis & in tota Iudæa. Dominus ipſe noſter non alia uſus eſt. Apoſtoli diſcipulique eius idioma loquebantur unuſquiſque loci unde erat. In variis quippe regionibus & urbibus Iudææ Syriaca lingua, non eadem nec æque pura, uſurpabatur. Petrum Galilæum eſſe, ex loquelę genio agnovit ancilla ſummi pontificis. Legis doctores addiſcebant ex lege quam terebant linguam mere Hebraicam. Nec minus Hieroſolymitani & vere Iudæi magiſtri eam ex libris ſacris haurire debebant, quam Aſiatici aut Græci, hoc eſt, in Aſia aut Gręcia nati. Non tamen eam ſinceram & impermixtam uſurpabant, ſed ex colluvie idiomatis Syriaci, & Hebraici antiqui ſermonis, interdum & Arabici, nec non Græcanici & idiotici, atque etiam Romani, concinnatam. Hinc tam multa etiam vocabula Romana in novo Teſtamento reperiuntur, & Macedonicæ Alexandrinæque dialecti, quod idioma Græcum fuit, in Syria vulgo & Aegypto uſitatum. Hic

mos

mos eſt recentium Rabbinorum, multa ſcriptis ſuis admiſcere vocabula, ex gentium idiotiſmo, in quibus nati erant, & inter quas vivebant, ſumpta, Germanica, Gallica, & Italica. Quinetiam loquutiones ſæpe ex iiſdem nationibus uſitatas habent, non ſolas dictiones indidem petitas. Quare falſiſſimum videtur quod hic adſtruit nobiliſſimus Dominus, defæcatum ab omnibus Syriaſmis fuiſſe Hebraiſmum quo uſus eſt Paulus. Ἑϐραΐς διάλεκτος vocatur à Luca, non quod mere eſſet Hebraica, ſed quod à Syriaca pura multum diverteret, utpote ex Hebraica multum retinens, & ex utraque coalita. Quinimmo Ἑϐραΐς vel Ἑϐραϊκὴ διάλεκτος in N.T. non alia intelligenda, præter vulgarem Syriacam, quæ in uſu erat Hieroſolymis, & in reliqua Iudæa. Et cum dicunt auctores, Euangeliũ κατὰ Matthæum ſcriptum fuiſſe Hebraico ſermone, de Chaldaïco & Syriaco intelligi debere, auctor eſt Hieronymus, quale Matthæi tempore fuit & Chriſti ipſius idioma Hieroſolymitanum. Apud Iohannem cap. XIX. λιθόστρωτον dicitur Ἑϐραϊστὶ appellari Γαϐϐαθᾶ, quod accipi debet de dialecto Syriaca Hieroſolymis uſitata. Hebraica pura in ſolis Bibliis eo tempore reperiebatur, quæ non magis vernacula tum Iudææ fuit quam

Sclavo-

Sclavonica. Certe Græca Macedonica, longe per ea tempora frequentior uſitatiorque in Syria tota & Iudæa erat, quam illa Hebraica vetus, qua ſacræ condita ſunt volumina ſcripturæ. Hebræi igitur eo tempore dicti Iudæi, non quod lingua Hebraica uterentur ſincera & incorrupta, ſed quod in Synagogis eorum Biblia illo ſermone conſcripta legerentur. Unde & aliquem uſum eius linguæ habuiſſe illos neceſſe eſt, quod aſſidue audirent eam legi in ſuis Synagogis. Magiſtri vero legiſque doctores ac ſcribæ longe etiam maiorem eiuſdem notitiam aſſequebantur ex aſſidua lectione ac meditatione ſacrarum tabularum Hebraice ſcriptarum. Quando igitur Hebræos legimus in Actis appellatos Iudæos, & ab Helleniſtis diſtinctos, de Iudæis accipiendi illi ſunt, quorum in Synagogis Hebraica Biblia ſolum legebantur, cum in Helleniſtarum Synagoga, quia Hebraice non intelligebant, Græce verſa ſolum legerentur. Ut merito Salmaſius ſcripſerit de iſtis Helleniſtis: *Si Hebraice ſciſſent, & Iudæi origine fuiſſent, quæ ratio eos diſtinguendi à Iudæis & Hebræis? His opponit Exercitator Helleniſticarius, non diſtinguere Euangeliſtam hoſce Helleniſtas à Iudæis, ſed ab Hebræis.* Ego repono, immo ab utriſque. Alibi enim à Iudæis, ut

ut ſupra indicavimus, hos Helleniſtas diſtinguit, alibi ab Ebræis. Ergo Iudæi & Hebræi iidem, Helleniſtæ vero ab utriſque diverſi. *Iudæus,* inquit Helleniſticarius, *generis rationem habet: ſpecies illius ſunt, Hebræus, & Helleniſta.* Si hoc concedam, quid inde fiet? Certe ꝗ Iudæi appellatio valde generalis, quæ aliquando comprehendit omnem omnino Iudaiſmi ſectatorem profeſſoremque. Et ſic Syrus interpres intelligendus, cum verba illa in x Actorum vertit, *cum Iudæis, qui norunt Græce.* Sed Iudæos intelligit religione, non origine. Sic cum apud Paulum diſtinguitur, Ἰȣδαῖος & Ἕλλην, Iudæus & gentilis ſive Græcus, nomine Ἰȣδαίȣ, non ſolum origine Iudæus qui eſt, accipi vult, ſed qui religionem amplexus eſt, & Ἰȣδαϊσμὸν accepit. Qui enim Ἰȣδαΐζει, pro Iudæo omnino accipitur, ut qui χριστιανίζει, Chriſtianus cenſetur. Iudæi igitur appellatio generaliter ſumpti religionem ſpectat, non linguam. Iudaicam quippe dialectum haud temere dici reperias, ſed ſuperſtitionem & religionem. Videor tamen legiſſe alicubi apud Ioſephum Ἰȣδαίαν διάλεκτον pro Hebræa, vel Syra, quæ tunc temporis in uſu communi erat apud Iudæos. Et ſic Iudæa & Hebræa dialectus eadem. Ergo Hebræi & Iudæi iidem, quandoqui-

doquidem Ἑβραῒς διάλεκτος in Novo Fœdere vocatur Syriacum idioma vulgare, ſive Hieroſolymitanum Iudæorum illius ævi. Communius tamen Ἰουδαϊσμὸς de religione. Unde in Epiſtola ad Galatas de Petro, qui gentes ad Chriſti fidem venientes Ἰουδαΐζειν cogebat, id eſt, Iudaïcas cærimonias recipere, & circumciſionem. At vox Ebræi ad linguam magis pertinet quam ad religionem. Nemo enim Ἑβραΐζειν dixit, pro Iudæorum proſelytum fieri, & in ritus eorum iurare, quod Ἰουδαΐζειν. Sic cum Ἰουδαϊσμὸς & Ἑβραισμὸς in eamdem cadere perſonam poſſit, id eſt, ſermo Ebræus, & Iudaica religio, unum eumdemque Iudęum & Ebræum eſſe dicique, nihil prohibet. Helleniſtæ erant Ἰουδαΐζοντες non Ἑβραΐζοντες, quia linguæ Ebraicæ ignari, ſolam religionem ſuſceperant. Quod eſt proprie Ἰουδαΐζειν. Unde & Iudæorum interdum appellatione continentur, cum hæc vox latius accipitur de omni Ἰουδαΐζοντι. Alias diſtinguitur à Iudæo Helleniſta, cum Iudæi appellatio pro vero & originario Iudæo ſumitur, qui etiam Ebræus eſt, quia Ebraica in eorum Synagogis locum habebat, ſed & quia antiquitus hanc linguam habuere vernaculam & nativam. Galli ſic olim nomen ſuum perdiderunt, quando

do Gallice loqui deſierunt, Romano ſermone aſſumpto in locum vernaculæ linguæ. Quod & de aliis dicere eſt. Ita Ἑβραῖοι nihilominus tum dicebantur, Apoſtolorum nempe & Chriſti ætate, cum tamen ab uſu vulgari receſſit vetus eorũ lingua & Ebręa. Tacitus *Ebræas terras* dixit de Iudæa. Pauſanias Iudæos ſui temporis Ἑβραίους appellavit. Theologus Ἑβραίων παῖδας de Iudæis ſui ſæculi. Iohannes Ἑβραϊστὶ dixit de lingua, tunc Iudæis uſitata, quam & Lucas Ἑβραΐδα διάλεκτον nuncupavit. Duobus locis apud eumdem Lucam quos ſupra notavimus, Helleniſtæ ſeparantur à Iudæis, id eſt, Ἰουδαίοις Ἑβραΐζουσι, qui Ebraicis Bibliis utebantur ſolis in ſuis Synagogis, & qui Ebraice loquebantur. Ex Bibliorum Ebraicorum lectione frequenti non vulgarem etiam idiotę contraxerant eius linguę cognitionem, magiſtri vero & legis doctores ſatis magnam. Quæ confuſa cum idiomate materno ſtatim Rabbinicum compoſuit. Quod loquendi genus poteſt & Ἑβραϊκὸν appellari, ut Ἑβραῒς διάλεκτος de idiomate Syro, & Chaldæo vel Hieroſolymitano, à Luca & Iohanne uſurpatur. Cum itaque Sexto Actorum legimus, commurmurationem fuiſſe τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, per illos Ebræos intelligit Lu-

cas

cas Iudæos veros, & *ἰδικῶς* ſic appellatos, non quod linguam Ebraicam nativam tunc haberent, & ut vulgo loquimur, maternam, ſed quod eam multi, & præcipue eorum doctores, intelligerẽt, & quod in Synagogis vulgo Ebraicę ſcripturę lectio frequentaretur. Immo quod lingua qua tunc utebantur, licet multum ab antiqua Ebræa diverſa foret, nihiloſecius *Ebræa* appellabatur. Ita iis opponit Helleniſtas, quia *Ἑλληνιστὶ* tantum ſciebant, non *Ἑλληνιστικῶς*, Græce & Ebraice, non Helleniſtice, & quod ſola verſione Bibliorum Græcanica uterentur. Eccleſia tunc conſtabat ex ſolis Iudæis, id eſt, Iudaiſmum profeſſis, cum nondum gentibus aditum dediſſet Spiritus Sanctus. Iudæi illi, hoc eſt, omnes *Ἰουδαΐζοντες*, partim naturales erant & originarii, partim extranei & adventitii. Atque hi *proſelyti* proprie dicebantur, quorum totidem genera quot gentes à Iudaica alienæ, Syri, Græci, Perſæ, Romani, Arabes, Aegyptii, & aliarum nationum. Gręci proſelyti proprie *Ἑλληνισταὶ* vocabantur, ob linguæ Græcę uſum, quia *Ἑλληνισμὸν* in loquendo uſurpabant, id eſt, Græcanicam ſermocinationem. Hæc longe maxima pars fuit proſelytorum inter Iudęos, quia cæterarum gentium proſelyti, eo tempore aut in turbam verorum Iudęorum

rum concedere debebant, aut in Helleniſtarum. Cum enim his duabus ſolis linguis, Ebraica & Hellenica, ſacræ Scripturæ vulgo tum haberentur, non poterant legi in Synagogis antiqui fœderis tabulæ, niſi Ebraice aut ἑλληνιστὶ, id eſt, Græci. Inde fiebat, ut ex his duobus generibus Iudęorum, ſive Ἰουδαϊζόντων, Eccleſia Chriſtiana, necdum admiſſis gentibus, componeretur, Ebræis & Ἑλληνισταῖς. Ebręi vere Iudęi ſacras Scripturas Ebraice legebant in ſuis cœtibus & conventibus, ἑλληνισταὶ ex verſione Septuaginta eaſdem habebant in Gręcum Sermonem tranſlatas. In nulla pręterea lingua, his exceptis duabus, Ebraica & Gręca, ſacrarum ſcripturarum lectio concelebrabatur, neque in Synagogis Iudaicis, neque in conventibus Chriſtianis. Ideo ſoli memorantur per illa initia naſcentis Eccleſię, inter Chriſti diſcipulos, Ebręi & Helleniſtę, id eſt, Iudęi originarii Ἑβραΐζοντες, vel Ebraicis ſcripturis utentes, & proſelyti ἑλληνίζοντες, id eſt, Helleniſtę. Et primo quidem cum maior eſſet numerus verorum Iudæorum & fratrum ἑβραϊζόντων, & Eccleſia exigua eſſet, prępollebat in ea auctoritas Hebręorum: poſtea cum multiplicati eſſent diſcipuli, & grex Helleniſtarum incrementum accepiſſet, commurmurare hi



Digitized by Google

cœperunt adverſus Ε῾βραίους, quod eorum viduæ in quotidiano miniſterio negligerentur. Ut horum ergo Helleniſtarum ratio haberetur, convenit inter fratres, ut ex illorum corpore ſeptem eligerentur, qui menſarum miniſterium pauperumque curam ſuſciperent. Si quis ex Ebræorum numero, id eſt, Iudæorum vernaculorum, & Ε῾βραϊζόντων, Græce ſciebat, ut veriſimile eſt, infinitos Græce ſciſſe, non ſolũ in Græcia natos, ſed etiam Hieroſolymitanos, non propterea numero Ε῾λληνιστῶν adiungendus veniebat, ſed eo ipſo Ebræis tantum accenſebatur, quia erat eius Synagogæ membrum, in qua ſcriptura Hebraice legebatur, & quia ex illa gente erat oriundus cui olim lingua Ebræa naturalis fuit. At Helleniſtæ his oppoſiti ii ſoli dicebantur, qui Græci origine, aut Græcę linguæ notitia & uſu vigentes, quamvis à Græcis orti non forent, religione utique Iudaïzantes, ſcripturaś in Synagogis ſuis Græce tantum legebant, quia Ebraice non intelligebant. Ex his Helleniſtis Ι᾿ουδαΐζουσιν, & Iudæis illis Ε῾βραΐζουσιν, ad Chriſtianam fidem converſis, prima Chriſti Eccleſia, priuſquam gentes ad eam admiſſæ fuiſſent, erat conflata. Cum hæc ita ſint, recte Salmaſius in præfatione ſua ſcripſerat; *An, quicunque tunc temporis Ebræus*

*bræus genere, ac Iudæus, Græcam linguam calleret, eo ipſo à cæteris Iudæis ſegregandus fuit, & in cœtum Helleniſtarum compellendus? Quod eſt ineptiſſimum.* Bona verba, inquit Helleniſticarius. Cur non bona, ſi vera? An meliora reponat, videndum. *Non ſola,* inquit, *cognitio Græcæ linguæ quem ad Synagogam Helleniſtarum compellebat, ſed partim minus perfecta linguæ Ebrææ cognitio, partim quoque præcipue opinio de perfectione & ἀταξίᾳ Synagoges Helleniſtarum.* Male omnia omnino verba, quia inepta, ridicula, & falſa. *Cognitio non ſola,* ais, *linguæ Græcanicæ, ſed minus perfecta Hebraicæ notitia, compellebat homines ad Synagogam Helleniſtarum.* Quid? An credat, omnes qui Synagogæ Iudaicæ intererant, ad perfectum imbutos linguę Ebraicę cognitione? Si ſcribas & legis doctores excipias, an quemquam illius ævi ex plebe Iudęum cenſes Ebraice ad plenum ſciſſe? Scire ipſe debueras, linguam Ebraicam illo tempore in Iudęa plane abolitam penes plebem fuiſſe, cui Syriacum idioma in uſu erat. Dominus noſter non alia dialecto uſus ex novi fœderis libris cognoſcitur, cum turbas alloqueretur. Nec eius diſcipuli alia ſunt uſi, ut multis probari poteſt. Nec ſi alia loquuti eſſent, à populis ad quos loquebantur intellecti forēt. Si de vetere Ebraica quęſtio,

ſoli eam doctores & magiſtri callebant. Si de recente, qualis tunc in uſu fuit, omnes eam norant, qui Iudæi dicebantur: tam Hieroſolymis, quam in reliqua Iudæa. Immo & innumeri alii ex Aſia & Græcia Iudęi, qui quotannis plures Hieroſolyma ventitabant, & linguam in ea urbe pollentem addiſcebant. Quid de mulieribus Iudaïcis dices? an & illas perfecte tenuiſſe linguæ Ebraicæ notitiam, ideoq; interfuiſſe Synagogæ Iudaïcæ? An ex ſola linguæ illius intelligentia minus aut magis perfecta alios ex Iudæis Helleniſtas evaſiſſe, ac Synagogas ſeparatas habuiſſe, alios Ebræos? Cui præter te, qui id aſſeris, probabile fiat, Iudæum, qui minus eſſet intelligens linguæ ſuæ, ſtatim ſeceſſiſſe ad Helleniſtarum Synagogam? Si hoc eſſet, ut nos credere iubes, inſanũ longe maior numerus fuiſſet eo tempore Helleniſtarum quam Ebræorum. Numero etiam Synagogarum illi viciſſent, qui ſuperabantur eruditione & linguæ Ebraice ſcientia. Quanto enim iſti plures rudiores illis perfectioribus & profundioribus Ebræis? Vide vero, an ſic ſatis conveniant & rationi conſentanea ſint quæ ſcribis. Proxime præcedente pagina dixiſtī, internecinum odium fuiſſe inter Helleniſtas & profundos Ebræos, hoc eſt, inter callentio-

lentiores Ebraicæ linguæ, & minus eius gnaros. Paulum eo nomine exoſum inviſumque illis profundis Ebræis, id eſt, linguæ Ebraicæ peritiſſimis, quod Synagogas intraret Helleniſtarum, id eſt, Ἑβραίων minus βαθέων. Nunc te ipſum iudicem appello, an veriſimile ſit, Iudæum Iudæo, fratrem fratri, ea de cauſa exoſum, quod Ebraicæ linguæ minorem haberet notitiam quam frater, & minus profundus eſſet in eius cognitione, ut tuam phraſim ſæpe repetam? Sed demus, hanc idoneam odiorum & irarum cauſam fuiſſe inter fratres peritiſſimos Hebraidis dialecti, & minus peritos; an quiſquam ſuæ ſibi inſcitiæ, aut minus exactæ ſcientiæ, conſcius, ob hoc ſolum ſtatim tranſiiſſet in caſtra toti genti Ebrææ inviſorum Helleniſtarum, & earum Synagogas frequentaret, relictis Ebraïcis, hoc eſt, iis in quibus Ebraice legebatur ſcriptura? Aliquid eſſet, ſi refectæ tunc fuiſſent Synagogæ, in quibus ea lingua legi ſolita erat ſcriptura, qua viris, qua mulieribus, etiam pueris, Ebraice profundum in modum doctis. Sed quis neſcit, etiam hodieque Synagogas Iudaicas plures habere linguæ ſanctæ ignaros quam peritos? Quod & ipſe fatetur ſummus Helleniſticarius Sectione IV. Idem vir Helleniſtice doctiſſimus no-

bis fabricat duum generum Synagogas Iudaicas. Unum genus, in quo ſoli habebantur Ebraice ad profundam uſque peritiam linguæ ſanctæ intelligentes omnes. Eæ erant Synagogę τῶν λεγομένων βαθέων Ἑβραίων, profundorum Ebræorum, id eſt, *profunde peritorum*. In his Ebraicę tantum recitabatur ſacra Scriptura. Alterum genus fuit Synagogarum æque Iudaicarum, quas frequentabant Iudæi etiam originarii, ſed ob minus exactam linguæ ſuæ, id eſt, Ebraicæ, cognitionem, & paulo perfectiorem Græcæ doctrinam, in has Synogogas Helleniſtarum dictas conveniebant. Inter utroſque hos Iudæos, quamvis ab eadem ſtirpe & origine profectos, ſummum & implacabile odium interceſſiſſe, cum iuſte odiſſent peritiores minus peritos. Credat hoc Iudęus Apella, non ego. Sed nec quiſquam eſt doctiorum Recutitorum cui perſuaderi hoc poſſit. Exterebravit hanc ſcitam hariolationem vir ingenioſiſſimus ex perperam acceptis Chryſoſtomi verbis, quibus τοὺς βαθεῖς Ἑβραίους, opponit τοῖς Ἑλληνισταῖς. Hoc eſt, Iudæos ab alta & ultima origine ſtirpis Ebraicæ, novis Iudæis & per proſelytiſmum genti Iudæorum vel Hebræorum inſertis. Si quiſquam porro debuit, propter minorem linguæ Ebraicæ cognitionem

nem,& maiorem Græcæ, ad Helleniſtarum Synagogam compelli, nemini iuſtius hoc debuiſſe fieri videtur quam Ioſepho. Quis minus quam ille Iudęorum Ebraice doctus? Quis Græce magis? Idem de aliis dixeris illius temporis, qui tamen in Synagogas Iudaicas conveniebant: ubi quamvis minus quam mediocriter Ebraice callerent, Ebraicam tamen ſcripturam legentes audiebant. Helleniſtas autem oderunt veri Iudæi, tametſi Iudaiſmus illi amplexi eſſent, quia verſionem Græcam Bibliorum in Synagogis ſuis legerent. Quam tranſlationem in Græcum ſermonem factam ſummopere averſabantur, indignati, arcana ſuarum cærimoniarum, legemque ſanctam, ab ipſo Deo traditam, profana & idololatrarum lingua ſcriptam vulgo patere. Quamvis enim ipſi Græce propter commercia noſſent, ſacras Scripturas non niſi lingua ſancta exprimi debere iudicabant. Sic ſimulacra omnis generis cum abominarentur, monetam tamen Græcanicam Romanamque Deorum imaginibus ſignatam, recipiebant ac dabant. At in templo ne Cæſarum quidem tum dominorum ſuorum imagines admiſiſſent. Ita linguæ Grçcæ ad profana cõmercia uſum non recuſabant, quem in ſacris reiiciebant. Ideo ver-

ſionem Græcanicam Bibliorum deteſtabantur, & ab his abhorrebant qui ea uterentur. Malebant propterea audire in Synagoga quod non intelligerent, dum ſcirent, id ſacra lingua eſſe conceptum, quam ſacræ ſcripturæ aures admovere profano & idololatrarum ſermone conſcriptæ. Nec ſolos Iudæos tenuit hæc ſuperſtitio, aliquid nempe ſanctitatis reſidere in dialecto. Aegyptiaca lingua vetus iampridem ab uſu receſſit, recepta per totam Aegyptum in eius locum Arabica. Cophti tamen hodierni, qui antiqui ſunt Aegyptii, veteri lingua liturgiam celebrant, & populo exhibent, parum eius intelligenti, quam ipſi ſacerdotes vix interpretari queunt. Syri Chriſtiani, quibus Arabica notior quam Syriaca, hanc tamen quamvis obſoletam ſanctiorem exiſtimant, & ſiquid ſcripturæ ſacræ Arabice verſum eſt, Characteribus Syris malunt exarare quam Arabicis, quibus Muhammedica lex conſcripta eſt. Synaxes etiam ſuas Syriaco idiomate vix à plebe intelligendas peragunt. Aliã linguam habent Aethiopes, quibus ſacrum officium faciunt, nempe χαλδαΐζουσαν, quã ſoli doctiores callent; aliam qua vulgus utitur. Dic alicui pontificio & Romano Catholico, quo miſſas Latino ſermone celebratas, miſſas

faciat,

faciat, quia non intelligit, & ſe conferat ad Reformatorum Eccleſiam, in qua omnia audienti patent: deſpuet te & pro hæretico traducet, &, ſi poteſt, confodiet. Quid ergo mirum, ſi Iudæus, maiore ſanctitatis linguæ ſuæ opinione imbutus quam quilibet ex illis quos modo allegavi, præoptavit ſemper eam audire in Synagoga, ſibi licet obſcurã, quam aliam apertiorem, ſed quam habeat profanam? *Non ſola*, inquit Helleniſticarius, *minus perfecta linguæ Ebreæ cognitio, ſed etiam, idque præcipue, opinio de perfectione & εὐταξίᾳ Synagogæ Helleniſtarum, ad Synagogam eorum compellebat*. Ut intima linguæ Helleniſticæ nemo magis ἐν ὀνείροις penetravit, ita etiam, ſi forte videtur, olim, cum ſomniculoſe ægrotaret, ſibi viſus eſt intrare Synagogam Helleniſtarum, ut de εὐταξίᾳ eius quæ ibi videt aut vidiſſe putavit nobis enarraret. Sed falſa plane nobis videtur hæc viſio, nec puto, quenquam Iudæum hac ſola εὐταξίᾳ, etiamſi eſſet maior in Synagoga Helleniſtarum quam in Hebræorũ profundorũ, ad lectionem Bibliorum Græcanicorum convolaturum, relicta Hebraica. Sed miror, Helleniſticarium ita loqui de Helleniſtarum Synagoga, ut diverſam hic facere videatur à Iudaica. Ebræi, inquit, minus perfecte linguæ ſuæ periti compelluntur ad

Synagogam Helleniſtarum, partim etiam, immo vel præcipue, quod apud Helleniſtas maior εὐταξία ſit. Atque iſti Helleniſtæ etiam Ebræi ſunt, iudicio Helleniſticarii, & conſtituunt Synagogam ſic dictam, in qua congregari debent quicunque minorem habent linguæ Ebraicæ cognitionem. Sive ergo εὐταξία ſit inter Helleniſtas, ſive non ſit, hoc non debet alios attrahere Iudæos ad hanc congregationem, quam impleri neceſſe eſt ab omnibus in minori perfectione linguam Ebraicam callenlibus. Hoc vero etiam ridiculum, ut minus exacta cognitio linguæ Ebraicæ poſſit conciliare maiorem εὐταξίαν Synagogæ Helleniſtarum, id eſt, Iudæorum minus peritorum linguæ ſuæ. Omnes Iudæi perfecte & profunde eruditi, ſecundum doctorem Helleniſticarium, debent conſtituere diverſam ac ſui generis Synagogam: Minus in linguæ ſacræ cognitione perfecti tenentur & ſuam ſeorſim condere, & congregare. Quæ vero ratio dari poteſt, ut hi Iudæi perfecti & profundi minus ſint εὔτακτοι in Synagogis ſuis quam illi qui minorem habent perfectionem? Exemplum quod affert Helleniſticarius de Belgis inter Batavos Orthodoxis Gallice ſcientibus, qui non coguntur adire conciones Gallicas, nihil facit

cit ad rem. Si Belgæ iſti tanti facerent linguam ſuam præ Gallica, tantamque in ea ſanctitatem reponerent, ut Iudæi faciebant, nemo ex his facile ſe compelli pateretur ad audiendas conciones Gallicas, nedum libens accederet. Quod videtur ſentire, omnia εὐσχημόνως magis peragi in Eccleſia apud Batavos Gallica quam Belgica, palpam Wallonibus ſic obtrudit, quorum Eccleſiæ ſe adſcribi maluit ante aliquot annos Nobiliſſimus eruditorum Heinſius, deſerta Belgica, quod vulgo vocant *immatriculare*. An huius εὐταξίας opinione adductus à Belgica ſeceſſerit, ut Wallonicam capeſſeret, neſcio. Sed illud ſcio, ut ab amicis, qui illic vivant, accepi, poſtquam Salmaſius in Hollandiam venit, & intereſſe cœpit concionibus Eccleſiæ Gallicæ, deſiiſſe eo ventitare Nobiliſſimum Heinſium. Ab eo tempore inter duas Eccleſias, maternam & adoptatam, iam neutram tenet. *Interim*, inquit, *tam illi qui cum Eccleſia Gallica communionem colunt, quam qui apud Belgas manent, licet Gallice intelligant, ſunt & manent Orthodoxi*. Quid hoc ad rem? Certum eſt, eiuſdem religionis conſecraneos & ſymmyſtas fuiſſe Helleniſtas & Hebræos. Non tamen hæc communio doctrinæ impediebat ne Ebræi Helleniſtas ſummo odio pro-

proſequerentur. Quod & ipſe fatetur politiſſimus Heinſius. Rationem odii etiam ſupra expoſuimus. Quomodo igitur Ebræus ad Synagogam Helleniſtæ compelli potuiſſet, quem tantopere odiſſet? At Ebræus, inquiet, qui ab Helleniſta dividitur, is ſolus intelligendus, cui perfecta ac profunda ineſt ſuæ linguæ cognitio. Is non temere duci aut trahi ſe ſinet ad Synagogam Helleniſtarum, ſed minus profundus eo ſponte ſua accurret. Sed quæro iterum, quid cauſæ ſit, ut perfectus iſte ſemiperfectum tantopere averſetur atque abominetur? Semiperfectus iſte ſi eiuſdem gentis eſt & originis, æque Ἑβραῖος dici & haberi debuit. Lingæ Græcanicæ cognitio non debet eum ſecernere à profundo Ebræo, qua hic plerumque etiam maiore præditus eſt quam ſemiperfectus Ebræus. Qui neglexit linguam ſuam, tam ſanctam, tanti faciendam, tanti æſtimatam inter homines ſuæ gentis, quomodo in aliena & peregrina laborabit, quæ ipſi conciliatura ſit odium & inimicitiam omnium perfectorum & exacte eruditorum in eadem gente? Hæc mihi expediat virorum ſummus, & vir eſto tantum. Has omnes difficultates vitare in proclivi erit, ſtatuenti, ſicut facimus, Helleniſtas fuiſſe proſelytos è Græcia, qui ad fidem

dem adducti una cum Hebræis χριστιανίζουσι, Eccleſiam primam illam, & naſcentem, quæ nondum gentes admiſerat, conſtituebant. Proprie igitur *Helleniſta* proſelytus eſt Ἑλληνίζων, non Iudæus origine. Nam multi ex his Ἑλληνίζοντες, qui nunquam tamen propria & ſpeciali appellatione vocati ſunt Ἑλληνισταί. Et, hoc eſt, quod Salmaſius ſcripſerat in præfatione: *An nullos eo tempore fuiſſe putamus Iudæos qui Latine ſcirent? Non ſinunt nos id ignorare Romani auctores illorum temporum. Quid igitur? Numquid illi Iudæi Romanæ linguæ periti* Ῥωμαϊσταὶ *fuere dicendi, & à Iudæis eo nomine diſtinguendi, qui Romane neſciebant? Ita certe oportet.* Auctor Heinſius, vel fautor Heinſii Helleniſticarius, ne & hic ſine elogio procedat, vir ſubtiliſſimus, ſic reſpondet. *Se ipſos potuiſſent ſeparare, ſi Biblia tum in Romanam linguam fuiſſent tranſlata, illiuſque aut Zelo flagraſſent, aut Ebrææ Græcæque linguæ ignorantia laboraſſent.* Non erat hæc quæſtio, utrum ſeparare ſe potuiſſent, ſi Biblia in Romanum ſermonē habuiſſent verſa IudæiRomane eruditi. Nec hoc ſic intellexit Salmaſius VosHelleniſticarii dicitis, Helleniſtas proprie vocari Iudæos, qui inter Græce loquendum ſubinde admiſcebant Syriaſmos & Hebraiſmos, & ea appellatione ab reliquis diſtinctos fuiſſe Iudæis. Quæ-

Quæſivit Salmaſius, an Iudæi qui Latine utcunque ſciebant, ut plures tum fuiſſe Romæ compertum eſt, Ῥωμαϊσταὶ fuerint dicendi quia Latine loquentes Ebraicas & Syriacas phraſes uſurparent. De Synagogæ ſeparatione ille nihil. Hoc eodem modo & Iudæi Luſitanice periti, *Luſitaniſtæ* appellandi viderentur, & hoc cognomento à reliquis Iudæis diſcernendi. Et ſic de aliarum gentium Iudæis. Deberent quippe apud diverſas nationes diſperſi, ibidemque nati Ebræi, eorum populorum idioma callentes, cognomine inde adſcito ab aliis Iudæis aliarum gentium ſeiungi. Nec hoc tamen etiam ſic ſimpliciter procederet, ſed oporteret, ſi cognomen illud inde nanciſci vellent, linguam gentis in qua nati ſunt & educati, non perfecte callere, ſed mediocriter, ut loquentes illam dialectum, præ imperitia poſſent Ebraiſmos & Syriaſmos ſubinde inter loquendum uſurpare. Nec enim iuxta eorum ſententiam alii appellationem merentur Helleniſtarum, niſi qui tam male illam linguam ſciunt, ut loqui illa non poſſint quin ſubinde Syriaſmos & Ebraiſmos ſimul proloquerentur. Quæ ſunt ineptiſſima, falſiſſima, & rationis omnis inania. *Se ipſos*, inquit Helleniſticarius, *potuiſſent ſeparare, ſi Biblia tum in Romanam*



Digitized by Google

*nam linguam fuiſſent tranſlata.* Cur non ipſi tranſtulerunt, aut in Grǫcum vertere? Nam ab ipſis Iudæis Biblia in linguam Græcam converſa vult Helleniſticarius. Non longo tempore poſt Chriſti mortem Latine verſa eſt ſcriptura ſacra. Cur non ea uſi ſunt? Si noluerunt recipere à Chriſtianis factam verſionem, cur non ipſi fecerunt? Sed linguæ illius zelo non flagrabant, reponet Helleniſticarius, ut Græcæ. Qui minus quam Græcæ? Certe lingua illa erat dominantis populi, ſub cuius poteſtatem; & in formam provinciǫ, erat tum redacta Iudæa: omnes Iudæi toto orbe diſperſi, imperio Romano erant ſubiecti. Nihil fuit igitur cauſæ, cur minus zelo Romanæ Græci flagrare debuerint Iudæi quam Græcǫ? Quis autem unquam audivit aut legit, Iudæos Græcæ linguæ zelo flagrantes vertiſſe Græce Biblia, ut & uti poſſent in Synagogis? Contrarium omnes ſciunt, quantopere ab ea lingua abhorruerint Iudǫi, & quot modis deteſtati ſint verſionem Bibliorum ea lingua procuratam. Qua de re videndus Scaliger Animadverſionibus in Euſebium, vel Hieronymũ potius. *Si illius*, inquit, *zelo flagraſſent, aut Ebrææ Græcæve linguæ ignorantia laboraſſent.* At quam múltos Romǫ vixiſſe per ea tempora Iudæos credibile eſt,

qui

qui nec Græce nec Ebraice ſciebant, ſed tantum Latine? Sic hodie multi in Italia Iudæi, qui tantum Italice norunt: multi in Germania, qui præter Germanicam nullam aliam tenent linguam. Quę ſubiicit proinde Helleniſticarius, falſiſſima ſunt: *Qui Roma florente ex Iudæis Latine erant docti, aut Ebraice perfecte, aut Græce ſciebant; erantque aut in cœtu Ebræorum aut Helleniſtarum. Novam* Ῥωμαϊςῶν *Synagogam conſtitui haud fuit neceſſum.* Ridiculum illud non minus, quam falſum, qui Roma florente Romę vixere Iudęi, perfecte Gręce ſciſſe, aut Ebraice. Cur oportuit Iudęos qui Romę Latine erant docti, perfecte Græce ſciſſe, cum ne in Gręcia quidem media nati, educati, inſtituti, eam perfectionem Græcę linguæ attingerent quam Romanis Iudæis attribuit Helleniſticarius? Paulus ipſe Apoſtolus gentium, civis Tarſenſis, ex civitate quæ Græce loquebatur, in Græco ſermone idiota fuit. Quos alios proferent ipſo diſertiores doctioreſque ex Iudæis doctoribus Græce illo tempore ſcientibus? Apoſtoli reliqui, & diſcipuli Chriſti, Græce docti fuerunt? etiam ἰδιωτικώτεροι. neç, quem excipiam ex eo numero, reperio. Sic præcipuum habuit Roma, ut Iudæos apud ſe manentes Græce perfectius doctos redderet quam Gręc-

Gręcia? Cur non? Cum & Ebraice perfecte peritos faceret. Ita enim pronuntiat Helleniſticarius. *Qui Roma florente ex Iudæis erant Latine docti, aut Ebraice perfecte, aut Græce ſciebant.* Iudæa ſcilicet non poterat perfectiores vel æque perfectos in Ebraicæ linguæ cognitione concinnare. Miſeræ proſeuchæ pauperculorum Iudæorum, quales erant Romę ipſa florente, doctioribus Gręce & Ebraice magiſtris abundabant, quam ipſa Hieroſolyma, quam tota Iudæa. *Nam novam*, inquit, *Ῥωμαϊςῶν Synagogam conſtitui haud fuit neceſſum.* Nec hoc Salmaſius dixit, qui ne Helleniſticam quidem Iudæorum originariorum Synagogam ullam unquam fuiſſe aſſerit. Helleniſticæ quippe Synagogæ Helleniſtarum fuere proſelytorum, hoc eſt, ἑλληνιζόντων, & Græco ſermone utentium, non Iudæorum originariorum. Si in aliam linguam præter Ebraicam verſa Biblia habere voluiſſent Iudęi, eaque in Synagogis ſuis legere, probabile eſt, ex omnibus Syriacam fuiſſe electuros. Nam & multi erant proſelyti Syri, qui communem habuere linguam per ea tempora cum Iudęis. Qui Syri cum pręter Syriacam vix ullam aliam intelligerent linguam, facile ipſis fuit, verſionem procudere Bibliorum Syriacam, eaque in Synagogis

ſuis uti. Et linguæ iam pridem aſſueverant ipſi Iudęi, & quaſi naturalem habebant, poſt reditum è captivitate Babylonica. Magis itaque probaſſent, aut ſaltem minus improbaſſent, ſacram Scripturam ea lingua in Syrorum proſelytorum Synagogis legi, quam Græcam in Helleniſtarum. Et tamen nullas fuiſſe legimus Synagogas, in quibus legerentur Biblia Syriace. Sed dicat nobis, Synagogæ illæ Syrorum proſelytorum, ſi ullæ extitiſſent, quomodo vocandæ fuiſſent? An *Syriaſticæ*. Ipſi Syri proſelyti nunquid vocari debuiſſent *Syriaſtæ*? Nullo modo. Secundum Helleniſticarium, qui pure & ſincere Græco ſermone loquitur, ſine admixtione alterius dialecti, non intelligitur Helleniſta, ſed ille qui barbare loquitur, dum Græce loquitur. Ergo nec *Syriaſtæ* dicendi venirent, qui puro & impermixto illo ſermone uterentur, ſed qui Syriace loquendo Helleniſmos ſubinde & Latiniſmos Syriacis vocibus exprimerent. Quæſierim etiam libenter ab iſtis Helleniſticæ patronis, cum Lucas in Actis hæc duo tantum genera commemoret, ex quibus conſtabat tunc temporis Eccleſia Chriſti, Ebræos nempe & Helleniſtas, an ea Eccleſia nullum habuerit proſelytum? Habuiſſe, porro, non veriſimile eſt, quia vero eſt ve-

rius.

rius. In ſeptem diaconorum munere qui ex Helleniſtis ſumpti ſunt, unum ſaltem proſelytum fuiſſe, non negabunt, quia expreſſe hoc ibi dicitur, & Nicolaus unus ex ſeptem nominatur Antiochenus proſelytus. In iiſdem Actis præterea, cap. XIII. verſ. XLII, ſcribit Lucas, diſſoluta Synagoga, multos ex Iudæis & proſelytis, Deo ſervientes, ſequutos eſſe Paulum & Barnabam, qui & Synagogæ interfuerant. Et Synagogam eam Iudæorum fuiſſe, ibi ſcribitur. Proſelyti illi ex alia gente quam Græca fuiſſe videntur, qui eamdem cum Iudæis Synagogam colerent, quia propriam non habebant ad quam convenirent, ut Græci proſelyti. Ex omnium autem gentium proſelytis nonnullos Eccleſiam Chriſti auctiorem feciſſe, haud minus quam Iudæos, prorſum veriſimile, etiamſi non expreſſe id ſcriptum haberetur. In illa turba Helleniſtarum qui adverſus Ebræos murmurationem excitarunt, fuiſſe proſelytos, vel Lucæ credendum, qui in ſeptem diaconis ex illo corpore electis unum ſaltē proſelytum fuiſſe diſertim memorat. Ergo & ille proſelytus Helleniſta fuerit, & Græce ſciens. Si cæteri fuere origine Iudæi, & Helleniſtæ æque dicti, iam habebimus duo genera Helleniſtarum, Iudæos nempe ve-

ros, & proſelytos. Si quęratur ratio, cur confundantur genera tam diverſa, proſelyti nempe Gręci generis, & Iudęi, quid reſponſuri ſint Helleniſticarii, aveo ſcire. Quid enim dicent? Proſelytos nempe illos pariter cum Iudæis nomen Helleniſtarum ſortitos eſſe, quia Græce non perfecte ſcirent, & Ebraice etiam non perfecte. Sed quid ſi illi proſelyti Græci nihil omnino Ebraice ſcierant? Cur Helleniſtæ appellati ſunt? An quia Græce tantum noverant? Certe hoc verum, ſed non concedent Helleſticarii, qui Helleniſticã eam volunt eſſe, quæ Græcis verbis conſuta, intertextos habet Syriaſmos, & Ebraiſmos. At quomodo Ebraice prorſum & Syriace imperitus homo Græcus, Ebraiſmis, & Syriaſmis variare poſſet textum ſuę orationis? Expediant igitur hinc ſe, ſi poterunt, & mihi dicant, cur in eodem cœtu Helleniſtarum fuerint, qui Græcam originem præferentes Græce tantum ſcirent, & Iudæi originarii, qui utramque linguam, Græcam & Ebraicam, didiciſſent, ſed non perfecte. Nam ut fabulæ peragendæ ex decoro inſerviant, fingunt, illos Ebræos qui futuri ſunt Helleniſtæ, eatenus profeciſſe in Ebraiſmo, ut Græce loquentes poſſent Ebraizare. Nam Helleniſtica ipſis ſine Ebraiſmis & Syriaſmis nulla eſt, quaſi

caro

caro ſuilla ſine condimento. Ecce tamen, inter Helleniſtas illos, Ebraice & Græce ſemidoctos, alii Helleniſtæ proſelyti, ut ille Nicolaus Antiochenus, unus ex ſeptem, qui Helleniſticam habuit puram, ut veriſimile eſt, & Ebraiſmis carentem. Sed fortaſſean contendent, ut omnifarii ſunt, Nicolaum illum etiam Ebraice, ſed mediocriter, ſciſſe. Quippini? Cum nullus fuerit Helleniſta, qui non ſimul cum Græca loquutione eructaverit Ebraiſmos & Syriaſmos. Facetum etiam ac ioculare illud, quod nō niſi Ebraice ſemidoctorum volunt eſſe propriam iſtam linguam Helleniſticam. Quaſi vero profunde & alte imbuti cognitione linguæ Ebraicæ non queant Helleniſticam tractare, veſtitam ac decoratam multis phraſibus Ebraicis. Sic tanto melius, ſi velint, & copioſius aſpergent loquelæ Græcę Ebraiſmos, ubi peritius ſciverint ac melius Ἑβραΐζειν. Reſpondeant igitur, ſi tanti nos facient, quo uſque peritos Ebraice eſſe oporteat, & quem ad gradum mediocritatis pervenire, quos mittunt in Synagogā Helleniſticam, & quos idoneos haberi velint auctores linguæ Helleniſticæ condendæ? Certi ſine dubio ſunt fines, ultra & citra quos non queat conſiſtere linguæ Helleniſticæ proprietas ab Ebræo, ſi velit Helle-

 niſta

niſta haberi, poſſidenda. Uſque ad illum neſcio quem limitem perfectionis in Ebraica lingua ediſcenda Iudæo progredi neceſſe eſt, & intra illũ ſtare debet, ſi conſors eſſe expetat Helleniſticæ Synagogæ, & Helleniſticam linguam probe tenere. Si ulterius proceſſerit, & maiorem in doctrina huius linguæ perfectionem attigerit, in Hebraica Synagoga manebit, & quamvis omnibus numeris abſolutam linguæ Hellenicæ cognitionem ſibi vindicet, & Ἑλληνιστὶ loquendo nullis cedat Hellenibus, ne ſperet tamen pro Helleniſta ſic ſe poſſe venditare. Ebraice & Græce, hoc eſt, Ἑλληνιστὶ doctiſſimus non erit linguæ Helleniſticæ capax. Græce etiam quantumlibet peritus, ſi Ebraice fuerit omni ex parte imperitus, nec is fuerit dignus Helleniſta. Quid ergo? Quid erit ex mente Helleniſtę? Mediocriter gnaris Græce & Ebraice ſolis competit illius linguæ idioma cum appellatione. Niſi hæc mens ſit eorum qui ſe plus ſapere quam totam antiquitatem putant, linguam creando quæ veteribus omnibus incognitá fuit, melius nobis explicent, quid de ea ſentiunt, clareque eam definiant. Optime tamen viſus ſum percepiſſe quis ſit genius illius linguæ quam pro Helleniſtica nobis dant. De qua & infra adhuc

erit

erit dicendum. Potior itaque Salmaſii ſententia, has omnes ineptias, alogias & abſurditates, in quas incurrunt Helleniſticarii, minima quaſi declinatione corporis vitantis, dum omnes illos Helleniſtas, quorum in ſexto Actorum mentio, cenſet fuiſſe Gręcos proſelytos, Ebraice ignaros, linguæ ſuę ſolius gnaros. Helleniſticarii enim non poſſunt effugere quin ex eo loco duo genera Helleniſtarum agnoſcere debeant, Ebræos Græce callentes, & proſelytos non Ebræos, ſed omnino Gręcos, cum in ſepté Diaconis qui ex corpore Helleniſtarum deſignati ſunt, unus à Luca memoretur proſelytus. At iſto & inter alia argumento nitebatur Salmaſius, ut probaret, omnes Gręcos fuiſſe, id eſt, ἑλληνίζοντας, quod nomina eorum omnia eſſent Græca, nulla Ebraica. Non videt conſequentiam huius argumenti vir λογικώτατος, & circumſpecte negat, tale quid poſſe colligi. Tandem concludit, rationem eſſe ficulneam. Modeſtiam eius exoſculor, quam pari remunerabor. Evincidæ ſunt, quas contra opponit obiectiones. *Quis ignorat*, inquit, *Ebraica aut Syriaca nomina propria Græce converti à ſcriptoribus Novi Teſtamenti?* Sane nec hoc puto Salmaſium ignoraſſe. Sed cum videret, Diaconorum ſeptem ex Helleniſtis ſumptorum

mere omnia Græca eſſe, nullum Ebraicum, nec mentionem in Novo Teſtamento uſpiam fieri nominis ullius Ebraici, unde converſum ſit aliquod ex illis ſeptem Græcis; merito credidit, nullum horum ex Ebraico verſum poſſe dici. Tria omnino profert Helleniſticarius ex toto novo Fœdere huiuſmodi nomina Græca ex Ebraicis facta, quorum duo pro nominibus propriis apud Græcos nunquam in uſu fuere, ut *Simon Cananites*, Ζηλωτής. Quis Græce nominatus Ζηλωτὴς invenitur? *Cephas* dictus Petrus. Neminem apud Græcos ſic appellatum reperire eſt. Præterea *Cephas* etiam in Novo Teſtamento dictus occurrit Petrus cum Ebraico nomine. At nullus illorum ſeptem Diaconorum aliter quam Græco nomine nuncupatus legitur. Et cum Hiſtoria paſſionis Stephani latius à Luca enarrata & explicata ſit, nuſquam aliter quam Στέφανος appellatus extat. Apud Iohannem, unico locò Thomas appellatus Δίδυμος dicitur ex Ebraici nominis interpretatione, ſed nuſquã alibi aliter quam Thomas legitur vocatus. Et ſi quis hodie *Sanctus Didymus* diceret, pro ſancto Thoma, non intelligeretur ab illis qui minus periti ſint Ebraicę & Helleniſticæ linguæ quam vir ſummus Heinſius. De nomine Apo-

ſtoli

ſtoli qui Φίλιππ@ vocatus eſt, hoc poſſum dicere, mihi videri, non eſſe ex Ebraico verſum.. Nomen eſt proprium Macedonicum & Regiũ. Quod puto & multos Syros ſuis infantibus imponere ſolitos ex quo Dominatio Macedonum Syriam occupaverat. Ex eadem Macedonum Græca Dialecto compertum eſt Syriace peritis, multa vocabula in linguam Syrorum irrepſiſſe. Ipſæ vocales eorum inde expreſſæ, ex Græcorum nempe vocalibus. Menſium anni appellationes Syromacedonicæ ab iiſdem Macedonibus. Cur non & nomina etiam propria ab iis fluxiſſe veriſimile ſit? Certe & in nominibus illorum ſeptem Diaconorum pleraque Macedonum videntur peculiaria fuiſſe, quæ nec poſſunt videri ex Ebraico verſa, ut Ϊίμων, Νικάνωρ, Παρμβνᾶς. *Prochorus* nomen etiam purum putum Græcum, ut & Στέφαν@. Φίλιππ@ ut iam dixi etiam Macedonicum. Mirum itaque Salmaſio viſum eſt, ſi Helleniſtę illi, ex quibus creati ſunt ſeptem primi Diaconi, Iudæi origine fuerunt, ita potuiſſe incidere, ut omnium eorum appellationes mere Græcæ ſint, nulla omnino ex his Ebraica, nec ex Ebraico verſa. Hoccine aliquis putare poſſit ita cecidiſſe in cœtu Ebræorum, ut in nominibus ſeptem Diaconorum, de-

lectorum ex univerſo corpore Helleniſtarum, origine Iudæorum, nullum repertum ſit Iudaicum? Mira profecto fuiſſet hæc *συγκυρία*. Si hoc ſolo argumento confirmaſſet Salmaſius, Helleniſtas illos fuiſſe Græcos, poterat fortaſſean videri ficulneũ. Sed cum alia multa adiunxerit, ſic evadet robuſteum. Bonus tamen Logicus cum videret τὸ σύκινον ſuæ obiectinis, non tamen dubitavit ita concludere: *Sive Diaconorum nomina fuerint à Luca converſa, ſive non, certum eſt, eos omnes non fuiſſe origine Græcos.* Deſperantis hæc verba ſunt de firmitate ſuæ refutationis, & nihilominus obſtinate animum obfirmantis non cedere rationi. Sed quomodo hęc illius verba accipiemus? *Certũ eſt, eos omnes non fuiſſe origine Græcos.* Si omnes non fuere Græci, omnes fuere Ebræi. An non ita vult? Non tamen bona hæc conſequentia. Quid igitur? Si ſeptem illi omnes non fuere origine Græci, certum tamen eſt, non omnes fuiſſe origine Iudæos. Nam unus ex illis dicitur, nempe Nicolaus, proſelytus Antiochenus. Nemo, ut puto, proſelytus, origine Iudæus fuit. Unde igitur erit ille proſelytus? Perhibetur Antiochenus. Sed utrum Syrus, an Græcus? Si Syrus, quid ille faciebat inter Helleniſtas? An & Helleniſtæ aliqui Syri? At Græce for-

fortaſſe ſciebat. Sic fuerint non ſolum Iudæi Helleniſtæ, ſed etiam Syri. Quidni & Romani? Quidni & Arabes, Armenii & Perſæ? Sed Syri implebant Helleniſticam ſuam Syriaſmis, Romani Latiniſmis, Perſæ Perſiſmis, Arabes Arabiſmis, Armenii Armeniaſmis. Ita multiplices exibunt Helleniſticæ, & totidem fere quot Orientalium linguarum fuere idiomata ac dialecti. Sed Græcum illum Nicolaum detur fuiſſe. quæ enim ratio id prohibebit? Id nominis appellatio ſuadet plane Græcanica, niſi ex Syriaco verſum dicent. Hoc nomine extitit Philoſophus & Hiſtoricus inſignis, Auguſto perquā acceptus & familiaris, Nicolaus Damaſcenus, non Syrus origine, ſed Græcus. Nam Damaſcus, ut & reliquæ urbes omnium Syriarum, refertæ Græcis ex Græcorum Macedonum dominatione. Si Nicolaus iſte porro, Diaconus ex numero τῶν ſeptē, proſelytus fuit Græcus, & Helleniſta, quid vetabit, nos credere, quin reliqui ſeptem eius generis & originis fuerint? Nam Damaſceni illi Græci & Antiocheni, non Græci origine, ſed Syri, quia nati in Syria, non in Græcia. Cæterum quia ex Græcis patribus orti, & patriū nomē inter Syros ſermonem retinuerant, ideo Ἑλληνισταὶ appellati, id eſt, ἑλληνίζοντες vel Ἑλ-

ἑλλωνιστὶ φθεγγόμενοι. Ut ſciamus autem, omnes illos Diaconos non fuiſſe origine Græcos, audire nos iubet ipſum Stephanum Helleniſtam Helleniſticarius ſummus. Ex primis verbis concionis habitæ in concilio magno coram Pontifice Maximo, probare ſatagit, nihil eum pertinuiſſe ad Græcorum originem ſive gentem. Sic enim ad Iudæos loquens introducitur: Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραὰμ ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ. Non potuiſſe ſic proloqui quemquam τῶν προσηλύτων affimat, & inde arguit, non fuiſſe talem. Atqui vir ingenioſiſſimus cogitare debuit, Stephanum in ea concione, non pro ſe ſolum loqui, ſed pro toto cœtu, & præcipue ſeptem Diaconorum numero, in quibus unus proſelytus. Immo iam ex his quæ diximus, conſtat, omnes fuiſſe proſelytos. Præterea pro univerſis loquitur qui tunc temporis Eccleſiam Chriſtianam conſtituebant, in quibus fuere plures Ebræi, vel origine Iudæi. *Sed unde*, inquit, *probabit Salmaſius, eos proſelytos ſirempſe lege cum reliquis Iudæis fuiſſe?* Tametſi id non probet, & certum ſit, deteriori conditione גרים fuiſſe, nec participes nominis aut privilegiorum Iſraëlitarum, an inde ſequitur, non potuiſſe eos Abraham patrem ſuum voca-

vocare? Si communem habuerunt cum Iudæis legem qui Iudaiſmum ex gentibus amplectebantur, communia etiam utique promiſſa, quæ à Deo legem ab ipſo datam ſequentibus facta ſunt, cum eos participarunt. Deus Iudæorum, qui ſe Deum Abraham, Deum Iacob & Iſaac ipſe appellat, Deus etiam proſelytorum, quia proſelyti unum eundemque cum Iudæis Deum adorabant, eidemque legi quam Iudæis dederat, obſervandæ ſeſe addixerant. Si Deum Iudæorum, Deum ſuum vocare potuerunt, æque ac Iudæi, Abraham patrem ſuum appellare quis negat potuiſſe? Cum vero Abraham ex promiſſione ipſi per Deum facta pater gentium, nuncupatus ſit, gentes illæ, quarũ pater à Deo appellatus eſt, haud aliæ poſſunt eſſe præter eas quæ à Meſſia Deo patri ſanguine ſuo acquiſitæ ſunt. Et non dubium eſt, quin Chriſtiani hodie Abraham ſuum patrem queant indigetare. Stephanus igitur non ſolum ut Chriſtianus, ſed etiam ut Iudæus vel Iudæorum religioni inſertus, ita loqui potuit. Apparet ex illis eius verbis, quibus ad Iudæos utitur, Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, non ut Iudæum origine hæc proloqui, ſed ut proſelytum. Vir enim Iudæus dixiſſet tantum, ἄνδρες ἀδελφοί. At Stephanus, qui proſelytus erat, Iu-

Iudæos vocat ἀδελφὺς, ut earum promiſſionum cum iiſdem conſors, eiuſdem legis obſervator, eiuſdemque numinis cultor. Πατέρας etiam appellat, quia proſelyti ut diſcipuli eorum à quibus legem acceperant, quaſi filii cenſebantur, & illi tanquam patres. Nihil itaque obſtant verba orationis Stephani quin proſelytum fuiſſe eum cenſeamus. Immo vel unice id probant, ne aliquid validius quæramus. Salmaſius tamen alio magis invicto argumento oſtendebat, ſeptem illos Diaconos fuiſſe proſelytos, quia in iis enumerandis Lucas Nicolaum proſelytum Antiochenum fuiſſe monuit. Hoc non videtur ita firmum Helleniſticario, quin potius imbecillimum iudicet. *Quotquot*, inquit, *naſo non carent, contrarium colligent è Lucæ verbis.* Non tamen carere naſo Salmaſium puto. Qui hominem viderunt, mihi retulere, ſatis eſſe Naſicam. Ex his ipſe colligo, omnes, qui libros legunt, non eoſdem habere oculos, nec eamdem mentem, forte nec eumdem naſum. Ex iiſdem Lucæ verbis contrarium colligit Salmaſius, contrarium colligi debere ait naſutiſſimus Heinſius, qui & in Naſonis ſcriptis melius verſatus videtur, quam in ſacræ Scripturæ libris. *Ideo*, inquit iſte, *expreſſe annotat, Nicolaum Antiochenum fuiſſe proſe-*

*proſelytum, quia reliqui ſex erant Iudæi*. Primum falſum eſt, Lucam adnotare, *Nicolaum Antiochenum, fuiſſe proſelytum*. Quæ ſi verba ita concepta eſſent apud Lucam, faterer & ipſe quoque, unum excipiendo Nicolaum Antiochenum qui proſelytus eſſet, reliquos ſex intellexiſſe eũ non eſſe proſelytos, ſed Iudæos. Non igitur dicit, & *Nicolaus Antiochenus, proſelytus*, ſed, & *Nicolaus proſelytus Antiochenus*. Reliqui ergo etiam proſelyti, ſed Hieroſolymitani. Hieroſolymis enim illa acta ſunt. Eccleſia quippe prima Chriſti ex Iudæis coacta ſolis fuit, nondum vocatis nec admiſſis gentibus. Ex duobus generibus conſtabat, Ebræis, id eſt, Iudæis veris & originariis, & ex Helleniſtis, id eſt, proſelytis, Græce intelligentibus. Ex Helleniſtarum corpore ac numero electi primi Eccleſiæ ſeptem Diaconi, qui omnes uno excepto fuere Hieroſolymitani. Et cum eſſent Helleniſtæ proſelyti, omneſque illi ſex eſſent Hieroſolymitani, ſeptimum ultimo loco recenſuit, quem monuit fuiſſe proſelytum Antiochenum. Si ſimpliciter legeretur apud Lucam, *Et Nicolaus proſelytus*, nihil eſſet dubium quin deberet intelligi, reliquos ſex eſſe Iudæos non proſelytos. Sed cum addit, *proſelytus Antiochenus*, cui dubium eſſe poteſt, quin alii æque proſelyti fue-

fuerint, non tamen Antiocheni, ſed Hieroſolymitani? Vir acutiſſimus & eorum quæ alii ignorant ſcientiſſimus, linguæ nempe Helleniſticæ, ita infirmat conſequentiam Salmaſii. *Si*, inquit, *admittatur hæc ſequela, æque probabiliter mihi licebit concludere, omnes Chriſti Apoſtolos fuiſſe* ἀπὸ Καριώθ *oppido tribus Iudæ, quia Matthæus cap.* x. *inter Apoſtolos ultimo loco recenſens proditorem Iudam, expreſſe de eo hoc teſtatur.* Stupidus eſt & hebes Salmaſius, ſi hæc conſequentia ſimilis eſt ei quam ex Lucæ verbis deducit. Si non eſt, tum haud vitare poterit, quin ſtolido ſtupore cor Helleniſticario conſtet qui talem ei affingit. Iam videamus ſimilitudinem conſequentiarum. In Matthæo enumeratis ordine cæteris Apoſtolis ultimo loco ponitur Iudas cum cognomento *Iſcarioth*. Si quis inde concluderet, omnes Apoſtolos eſſe Ἰσκαριώτας, non dicam qualis foret. Nam eius inſania ſuperaret quodcunque de inſanis poſſem dicere. Si ſimile eſt quod ex Luca collegit Salmaſius, ſit ſane quod eũ eſſe vult ingenioſiſſimus Heinſius, qui tamen eum Alpha eruditorum hic appellat, incomparabilem, & quid non? Sex priorum Diaconorum nomina nuda apud Lucam proponuntur, ſeptimus cum hac nota memoratur, *Nicolaus proſelytus*

*An-*

*Antiochenus*. Ergo cæteri, inquit Salmaſius, quorum nomina præceſſerunt, non proſelyti Antiocheni, ſed Hieroſolymitani, quia res illa acta eſt Hieroſolymis, ubi Eccleſia Chriſti incipiebat coaleſcere, ubi etiam ſeptem Diaconi ex Helleniſtis in ea urbe commorantibus electi ſunt. Cum itaque eſſent Hieroſolymitani omnes illi Helleniſtæ qui Eccleſiam cum Ebræis eiuſdem loci ad Chriſti fidem converſis componebant, cum & proſelyti eſſent; unus ex illis, qui non erat Hieroſolymitanus, hac nota ab reliquis diſtinctus eſt à Luca, & proſelytus Antiochenus vocatus. Quod idem eſt ac ſi dixiſſet, *Helleniſta Antiochenus*. Helleniſtarum eorum Antiochenorum mentio in Actis cap. XI, cum quibus contulerunt de verbo Chriſti diſcipuli eius, quos per varias urbes diſperſerat in Stephanum edita perſecutio. Addit tamen Helleniſticarius: *Quæ ratio ſequelæ à Nicolao Antiocheno, quem* προσήλυτον *fuiſſe teſtatur Lucas, ad Helleniſtas quorum mentio fit Act.* XI? Ut iterum hanc conſequentiam traducat, accerſit aliud ſimile ex Ioſepho quo ſemet ipſum ridiculum facit. *Ex Ioſepho,* inquit, lib. XVI. *Antiquitatum, cap.* IV, *liquet, Iudæos frequentes in Ionia commorantes eodem iure cenſos fuiſſe cum civibus ibi natis. Ergo cum Salmaſio conclude,*

 *eos*

*eos omnes fuiſſe* προσηλύτους. Si paulo calidior eſſem, vel genio, vel iuvenili ætate, ad hæc ſtomacho commoverer, & dicerem quæ convenirent in talem ἀλογίαν. Iterum videanus germanitatem concluſionum. Hæc Heinſiana eſt: Iudęi in Ionia commorantes eodem iure cenſebantur cum civibus ibi natis. Ergo omnes fuere proſelyti. Rideam, an ſtomacher, dubito. Simile eſt argumentum, ac ſi quis diceret, corvum & merulam ſimiles colore eſſe, & inde concluderet, corvum & merulam luſcinias eſſe. Non dividenda ſunt, quæ & hoc ordine poſita ſunt apud Lucam, illa verba, nec illo ordine leguntur ut citat Helleniſticarius, *Nicolaus Antiochenus, proſelytus.* Sed ut habentur in Actis ſcripta, ita etiam explicanda ſunt: *Nicolaus, proſelytus Antiochenus.* Quod iam ante indicavi. Ergo reliqui non proſelyti Antiocheni, ſed proſelyti Hieroſolymitani. *Dein,* inquit Helleniſticarius, *quæ ratio à Nicolao Antiocheno, quem proſelytum fuiſſe teſtatur, ad Helleniſtas Antiochenos?* Immo dic, *Quæ ratio à Nicolao proſelyto Antiocheno ad Helleniſtas Antiochenos.* Iam tibi oſtendam quæ ratio ſit. Nicolaus, proſelytus Antiochenus à Luca fuiſſe dicitur. Meminit idem Lucas Antiochenorum Helleniſtarum. Helleniſtæ illi fuere προσήλυτοι Ἑλληνίζοντες.

Ergo

Ergo Nicolaus & Antiochenus fuit, & proſelytus, atque etiam Helleniſta, ut ipſe teſtatur Lucas, qui ex numero Helleniſtarum diaconum cum aliis ſex electum fuiſſe ſcribit. Optima hæc argumentatio & ratio ſequelæ à Nicolao Antiocheno Helleniſta, ut à Luca vocatur, ad Antiochenos Helleniſtas, quorum idem Lucas alio loco meminit. Quis enim dubitet, quin ille Nicolaus Helleniſta Antiochenus, fuerit ex illis Helleniſtis Antiocheniis quos alibi commemoravit? At ille idem Nicolaus Helleniſta Antiochenus, προσήλυτος etiam appellatur Antiochenus à Luca. Nemini ergo dubium eſſe poteſt quin concludi ex illis debeat, Helleniſtas Antiochenos fuiſſe proſelytos. Nec deterior concluſio de illis Helleniſtis ex quibus Diaconi ſumpti ſunt ſeptem, quin fuerint etiam omnes proſelyti, cum inter illos Helleniſtas Diaconos unum recenſeat Lucas proſelytum Antiochenum, qui & Antiochenus Helleniſta etiam fuit. Pergit Salmaſius, & præter nominum rationem quibus Diaconi illi nuncupati ſunt mere Græcanicis, ex interpretatione Theophylacti eos Helleniſtas Græcos fuiſſe probat. Ἑλληνιστὰς δὲ, inquit, οἶμαι καλεῖ τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους. Helleniſticarius Exercitator, qui omnia pro ſe

 arri-

arripit, ſic ad illa ſubiicit. *Tantum vero abeſt, ut adverſetur noſtræ opinioni Theophylactus, qui utroq; pollice ei favet.* Facile eſt utrumque pollicẽ illi demetere, ut ne amplius Helleniſticariis faveat. Sed favorem illum, qualis ſit, ſpectemus. *Teſtatur tantum*, inquit, *Ἑλληνιστὰς Græce loquutos fuiſſe; Iudæos eos origine extitiſſe, neque affirmat, neque negat. Hoc vero nobis ſufficit, Ἑλληνιστὰς Græce ſciviſſe.* Immo & nobis hoc etiam ſufficere credimus. Si Ἑλληνιστὶ illi loquebantur Helleniſtæ, non tui ſunt, nec pro te faciunt, nec pro tua lingua Helleniſtica. Ἑλληνιστὶ, ſi quid Græce ſcio, Græce eſt, non Helleniſtice. At lingua Græca diverſa ab Helleniſtica. Qui Ἑλληνιστὶ, id eſt, Græce loquuntur, non Ebraiſmos orationi ſuæ intermiſcent, nec Syriaſmos. Greca eloquutio, qui Ἑλληνισμὸς eſt Græcis rethoribus, non ſe patitur variegari phraſibus Syriacis & Ebraicis, ut opus phrygionicum. Talis autem eſt Helleniſtica dialectus, quam febriculoſi ſomniatores pepererunt. Tota intertexta eſt Syrorum & Ebræorum loquutionibus, & ſic partim Ἑβραΐζει, partim Συριάζει, partim etiam Ἑλληνίζει. Verbis Ἑλληνίζει, loquutionibus Ἑβραΐζει. Helleniſticam, ſed diverſi generis, garriebat delicium illius Sophiſtæ ab India advectum, qui cum Indicæ

ſuæ

ſuæ & vernaculę lingụę ex parte oblitus eſſet, ex parte Græcam didiciſſet, delectabat dominum ſuum nova garrulitate, Indica Græcis admiſcens, Græca Indicis. Genium & ideam Indicæ eloquutionis nondum abiecerat, voces Græcas edidicerat. Sic vocabulis Græcis exprimebat φρασιολογίαν Indicam. Quis neget, hanc fuiſſe Helleniſticam veram, hoc ſolo differentem noſtrorum Helleniſticariorum Helleniſtica, quod hæc pro Ἰνδισμοῖς habet Ἑβραϊσμοὺς? Fac nunc, & audeat affirmare Dæmonion illud Heinſii, Theophylactum eius opinioni utroque pollice favere, dum Helleniſtas Ἑλληνιστὶ, id eſt, Græce loquutos eſſe affirmat. Niſi velit, non diſcrepaſſe linguam Græcam communem ab Helleniſtica. Quod ſimpliciter & abſolute Ἑλληνιστὰς interpretatur, τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους, Græce loquentes, non potuit aliter ex linguæ Græcæ proprietate, quæ Ἑλληνιστὴν vocat omnem Ἑλληνίζοντα, Græce loquentem, ut ſupra docebamus. Hac ratione omnis Ebræus etiam profundæ ſuæ linguæ eruditione imbutus poterit eſſe ac dici Ἑλληνιστὴς, ſi Græci ſermonis peritiam adiunxerit. Quod etiam adverſatur opinioni Helleniſticariorum, qui ſolos ſemiperitos Ebręos tam in Ebraico quam in Græco idiomate hoc nomine

 Hel-

Helleniſtarum donandos cenſent. Non tamen Lucæ loci de omnibus omnino Ἑλ-ληνίζουσιν accipiendi ſunt, ſed quoniam diſtinguuntur ab Ebræis & Iudæis, Iudæi ſive Ebræi Ἑλληνίζοντες hac appellatione non comprehenduntur. Quinam igitur erunt? Haud alii poſſunt videri præter eos quos Salmaſius docuit, Græcos nempe vel Græca oratione utentes proſelytos. Syri interpretis expoſitio quam pro ſua cauſa facere putant Helleniſticarii, parum eos iuvat, qui Ἑλληνιστὰς vertit, *Iudæos qui norunt Græce*. Non enim Iudæos origine intelligit, ſed religione. Sic Ἕλληνες paſſim in Novo Teſtamento vocantur omnes gentiles idololatræ, etiam ſi Græci origine non forent, ut illa Syrophœniſſa quæ Ἑλληνὶς in Euangelio dicitur, id eſt, ſuperſtitione Ἑλληνίζουσα. Ut omnis ergo qui Ἑλληνισμὸν profitetur, id eſt, paganiſmum vel religionem Græcorum, Ἕλλην vocatur, ita quotquot Ἰουδαϊσμὸν illo tempore ſectabantur, etiam Ἰουδαῖοι latiſſima ſignificatione ſolebant nuncupari. Græce porro tantum ſciviſſe, non etiam Ebraice, Helleniſtas illos Actorum, probari videtur poſſe ex ſexto eiuſdem libri, ubi recenſentur, qui inſurrexerunt contra Stephanum Helleniſtam diſputatari. Stephanus ut Helleniſta Græce intelligebat, non

Ebrai-

Ebraice. Erat ex Helleniſtis qui à Iudaiſmo deſciverant. Et contra eum diſputabant, ut videtur, Helleniſtę, qui Iudaicã ſuperſtitionem non reliquerant ut Chriſtiani fierent. Nõ dicitur ibi, rem habuiſſe cũ Iudæis Hieroſolymitanis, nec omnino nominantur Iudæi qui contra eum diſputarunt. Primo memorantur aliqui ex Synagoga libertinorum. Libertini illi non fuere veri Iudæi, ſed Helleniſtę οἱ ἀπελεύθεροι. Libertorũ nempe filii, qui Romæ aut alibi apud proceres aut in domo Cęſaris ſervitutẽ ſervierant. Hi liberti, ut plurimum Græci generis erant. Quod colligitur ex nominibus Græcis libertorum Cæſarianorũ, & aliorum Romæ principum. Magna pars ut apparet horum libertorum Iudaiſmum ſectabantur, ac Synagogam Hieroſolymis habebant, ut ex hoc loco conſtat. Non enim aliter poſſumus interpretari iſtam· λιβερτίνων συναγωγήν. Et ſic vocantur Latina voce, ut multa alia huiuſmodi vocabula reperiuntur in Novo Teſtamento quæ paſſim in Iudæa eo tempore erant uſitata. Nominantur & Cyrenenſes, & Alexandrini, & qui erant ex Cilicia, item ex Aſia, qui omnes, ut veriſimile eſt, fuere Helleniſtæ eorum locorum, qui ſeorſim congregabantur Hieroſolymis cum ſuæ nationis hominibus Ἰουδαΐζουσι. Nam Iudæi

veri qui ex illis locis Hieroſolymam ventitabant, haud alias Synagogas frequentare ſolebant, niſi Iudaicas. Et qui hic vocantur ex Aſia, Helleniſtæ ſunt Aſiatici, quos propterea Iudæos non nominavit, ut alibi appellantur. Act. xxi. *aliquot Iudæi ex Aſia*. Paulus qui Ebraice ſimul & Græce ſciebat, non ſolum cum Helleniſtis, ſed etiam cum Iudæis ſæpe diſputationes habuiſſe narratur in Actis. Quod autem ait Helleniſtice vir doctiſſimus, Salmaſium videri negare, Græca LXX. ſenum interpretatione uſos eſſe Helleniſtas in ſuis Synagogis, id omnino falſum eſt. Nunquam iſtud negavit, ſed ſolum pertendit, Iudæos eos non fuiſſe origine, cum eſſent religione. Quid porro diſtabat Iudæus originarius à proſelyto Iudæo, qui iam in ea religione per aliquot γενεὰς inveteraverit, avumque & abavum fortaſſe, & tritavum λιπόδερμον habuerit? Hic ab avis ataviſque iam vetus Iudæus & ignoratis pæne principiis originis ſuæ, pro Iudæo iam tum haberi poterat, cuius Helleniſtica origo in obſcuro latebat. Sic qui ad plebeios olim domus ſuæ referunt initia, ſi longo tempore ſe pro nobilibus geſſerint, & nobiliter vixerint, nobiles cenſentur: cum tertia aut quarta γενεὰ ſtirpis exordium obliteravit. Quam multos hodie putamus Iudæos

dæos, qui nihil debent Iſraëliticæ ſtirpi, deſcendiſſe ex proſelytis, qui tamen creduntur habuiſſe patrem aliquem eorum qui in deſerto mortem obierunt? Multis annis ante Chriſtú ſatis certe fides pleroſq; Gręcos & Ἑλλωνιστὰς ad Iudaicā religionem acceſſiſſe. Aliquis igitur illius temporis proſelytus Helleniſta filium ſuum circumcidendum & in Iudaiſmo erudiendum curaverit. Et iſte porro etiam ex ſe natum ſic voluerit educari, qui & progeniem ſuam ita imbuerit. Chriſti tempore Helleniſtæ nati ex illis parentibus qui ſub regno Ptolemæi Philadelphi Ἰουδαϊσμὸν erāt amplexi, nonne poterant tā haberi pro veris Iudęis, quam veteres Ἰουδαΐζοντες? Eo tamen diſcernebantur, quod raro linguam Ebraicam addiſcebant, ſed Græce nativam ſolam retinebant, utebanturque ſeptuaginta interpretum verſione in ſuis Synagogis. De his veteribus Helleniſtis accipienda ſunt quæ citantur ab Helleniſticario ex Talmude Hieroſolymitano, poſt Buxtorfium, qui ea in Theſaino Rabbinico poſuit, in verbo אלינשתין. *R. Levi ivit Cæſaream, audienſque eos legentes lectionem Audi Iſrael, ex Deut.* VI, *Helleniſtice, voluit impedire ipſos. R. Ioſe id animadvertens, iraſcebatur, dicens: qui non poteſt legere Ebraice, num omnino non leget? Immo leget qua-*

 *cumque*

*cumque lingua quam intelligit ac novit, ac ſic officio ſuo ſatisfecerit*. Cæſarea eſt in qua iſtud accidiſſe narratur, Iudęæ Metropolis, quæ, ut veriſimile eſt, & Iudęos habuit multos, & Helleniſtas Ἰουδαΐζοντας. Non Iudæorum fuiſſe germanorum Synagogam illam in qua hæc acta ſunt, ſed Helleniſtarum, ex eo colligitur, quod ſcriptura ibi legebatur אלינסתין, id eſt, Ἑλληνιστὶ, non *Helleniſtice*, ut vertunt, ſed *Hellenice*, id eſt, Græce. Qui linguam Helleniſticam ex eo adſtrueret, valde falleretur. Qui Συριστὶ loquuntur, non *Syriſtæ*, ſed *Syrice* loqui cenſentur. Ῥωμαϊστὶ λαλεῖν eſt Romane fabulari, non Romaniſtice. Γραικιστὶ, Græce eſt, non Græciſtice. Ἀττικιστὶ Attice, non Atticiſtice. Illi igitur quorum Synagogam Cæſareæ intravit R. Levi cum legerent Hellenice Decalogi præcepta, fuere Helleniſtæ, hoc eſt, Græci ſermones homines, qui religione Iudaizabant. Hi Græce tantum, non etiam Ebraice, ſed nec Syriace ſciebant, ut ex verbis ſupra citatis facile colligitur. Verſionem aliquam Græcanicam extare ſacrorum Bibliorum, quantopere plerique Iudæorum abominati ſint, ſupra iam diximus. Talis fuit ex magiſtris R. Levi: qui cum in Synagoga Helleniſtarum audiſſet Decalogi præcepta legi Græce, non Helleniſtice,

non

non poterat hoc ferre, ſed voluit tum eos impedire. Alii æquiores, ut R. Ioſe. *Qui non poteſt*, inquiebat, *legere Ebraice, an omnino non leget? Immo quacunque lingua quam intellexerit*. In Synagogis Iudæorum ſcriptura legebatur Ebraice, explicabatur Syriace. Quod erat idioma Iudæorum per illa tempora. Decalogus etiam quo præcepta moralia continentur legi ſolebat Syriace, ut ab omnibus, qua idiotis, qua pueris, qua mulieribus, intelligi poſſet. Oportet igitur eam Helleniſtarum, id eſt, Ἑλληνιζόντων, non Iudæorum Συριαζόντων, fuiſſe Synagogam, in qua Decalogus legebatur Hellenice, ſive Græce. In media Iudæa & urbe Iudææ metropoli non intellexiſſe Syriace nec Ebraice Iudæos, haud eſt veriſimile. Cæſareæ & alibi in Iudæa poſt Chriſti tempora vixiſſe Chriſtianos ex Iudæis factos, qui Græce non intelligebant, & Euangelio Matthæi Ebraice ab Apoſtolo conſcripto utebantur, ex antiquis liquet. Nazaræi vocabantur, quorum mentio apud Hieronymum: quos & Berœæ habitaſſe ſcribit, & uſos eſſe Euangelio Matthæi Ebraice ſcripto, id eſt, Syriace vel Chaldaice, vulgari nempe idiomate quod in Syria & Iudæa tunc obtinebat. In Bibliotheca etiam Cæſarienſi ſervatum ſuo tempore fuiſſe illud Matthæi

Matthæi Ebraice ſcriptum Euangelium, teſtatur idem Hieronymus. Teſtimonium igitur illud ex Talmud Hieroſolymitano allatum nihil pro Helleniſtis Ebræis facit, nec pro lingua Helleniſtica, cuius nec meminit. Non magis iuvat & alterum quod ex Tertulliano citari ab illuſtri Scaligero aiunt. Quid illo efficitur? Lectitari palam à Iudæis Biblia Ἑλληνιστὶ, tranſlata ex ſeptuaginta interpretum verſione. Qui illi Iudæi? Num veri? Num originarii? Num Iſraëlitæ? Nihil minus. Proſelyti ſunt Iudæi Ἑλληνισταί. Quos nihil vetat *Iudæos* appellare. Et ſic ſæpe conſtat appellatos, quia erant Ἰουδαΐζοντες, ut Ἕλληνες paſſim vocãtur in Novo fœdere omnes τῇ θρησκείᾳ Ἑλληνίζοντες, quamvis Syri eſſent oriundo, Aegyptii, Aethiopes aut Arabes. Tertium argumentum quod pro hac opinione ſtare aſſerunt, affertur ex Novella CXLVI. Iuſtiniani principis, qua ſanxit, *ut hi qui per Græcam legunt, ſeptuaginta utantur traditione, quæ omnibus certior eſt, & præ aliis melior iudicatur.* Ex his verbis, inquiunt, & tota Novella, manifeſto docemur, Iudæos iam olim conſueviſſe in Synagogis ſeptuaginta interpretum verſionem Græcam legere. Hoc ſane verum. Sed quomodo verum iam docuit Salmaſius? Si qui Chriſti ævo aut ante tempora eius,

eius, vel Græci generis homines, vel Helleniſtici, Iudaiſmum capeſſerunt, an id mirandum, ſi uſque ad imperium Iuſtiniani perdurarunt, per natos natorum, & qui ab his nati ſunt? Per ſexcentorum annorum & amplius ſpatium qui Helleniſtæ, & Helleniſtarum filii, nepotes, pronepotes, & abnepotes, ſeptuaginta interpretum verſione uſi ſunt in Synagogis, nonne poteſt dici de his, Iuſtiniani tempore adhuc extantibus, & ſexcentorum annorum vetuſtatem de patribus in natos præferentibus, iam olim eos conſueviſſe τ͂ LXX. verſionem Græcam legere? Ab tam longingo tempore Ἰουδαΐζοντες Ἑλληνισταὶ nonne pro αὐτόχρημα Iudæis haberi poterāt? Quod ſi aliqui ex illis Helleniſtis, qui à temporibus Iuſtiniani uſq; ad hoc ævi progeniem ſuam pertulerunt, ita confuſi & indiſcreti cum germanis & Iſraëlitici generis Iudęis videri poſſunt ut nequeant diſtingui; nullum hodie diſcrimen agnoſcitur proſelytorum illius ævi quo Iuſtinianus imperavit cum Iſraëlitis Iudæis. Multo minus eorum qui ſæculo Chriſti vixerunt. Longe etiam minus, ſi qui Ptolemæo Philadelpho regnante ad Iudaiſmum appulerunt, ſi modo detur, ex illorum proſapia ſervatos uſque adhuc eſſe aliquos, & in aliquo terrarum angulo deliteſcere. Quod

non

non videtur incredibile, neque impoſſibile. An negabunt, ex Græcis olim vel ex Græco loquentibus, qui proprie ſunt Ἑλλωσαὶ, multos olim proſelytos Iudæorum factos? An inficias ibunt, qui Græco ſermone utebantur, cuiuſcunque gentis eſſent, Ἑλλωιςὰς Græcis eſſe appellatos? Nonne pariter fateri debent, qui ex his proſelyti Iudæorum religionem amplexi erant, Iudæos Helleniſtas potuiſſe appellari, Iudæos religione, Helleniſtas ſermone, ut τῇ θρησκείᾳ Ἰȣδαΐζοντες, τῇ γλώττῃ Ἑλλωίζοντες? Num quoque negare poterunt, qui ex Ebræis Græce ſciebant, quin nomen Ἑλλωιςῶν iis convenerit? An non etiam verum, ex his Ebræis alios perfectius ſciſſe Græce, alios minus perfecte, alios nihil prorſus ex ea lingua didiciſſe? Ut illos omittamus qui nihil poſſunt pertinere ad linguam Helleniſticā, tres ad minimū exibunt huius linguæ characteres & ideæ ab Ebræis Græciſſantibus, pręteritis interim in medio gradibus, & numeris. Alia quippe futura eſt Helleniſtica τῶν perfecte Ἑλλωιζόντων, alia minus perfecte Græciſſantium, tertia eorum qui utramque linguam Ebraicam & Græcam imperfectiſſime, hoc eſt, vitioſiſſime ſcirent. Si hoc ſcire eſt, aliquid male ſcire. Atque hæc eſt propria & vera Helleniſtica Helle-

Helleniſticariorum, qui ut cinnum faciant utriuſque linguæ ex vitiis ambarum coalitæ & conflatæ, Ebraice indoctos introducunt in hanc ſcenam, non magis Græce doctos, quos patres eſſe & auctores volunt conditoreſque Helleniſticæ dialecti. Sic quod non fuit, finxere, ut eſſet aliquid quod non erat. Ebræos nempe ſemidoctos Ebraice & Græce, Græca Bibliorum verſione utentes in Synagogis ſuis, ut monſtrum dialecti conflarent ex Ebræo neſcio quam bono, & ex Græco neſcio quam malo mixtæ. Et poſtquam ſatis diu deſaltarunt, hoc ludicrum argumentum ex poſitis non probatis ſic magnifice concludunt, *ſe equidem exiſtimare, nullum in prima, ſecunda, tertia cavea eruditorum tam iniquum fore, quin ſtatuat, ex iis quæ diſputata ſunt clariſſime liquere, tum* ἑλληνιστὰς *origine fuiſſe Iudæos, tum, Græcæ lectionis* τῶν LXX. *uſum fuiſſe in quibuſdam Iſraëlitarum Synagogis.* Sic omnes eruditos tribus caveis quaſi pullos includunt, ut paſcant eos non tritico, nec hordeo, ſed ut ſabulum eis pro pabulo præbeant. Hic maxima eorum iniquitas cernitur, qui ex una voce Ἑλληνιστὰς prave intellecta, ſomnia ſua pro ſcitis obtrudunt, & quod nunquam fuit, pro certo fuiſſe affirmant, Iſraëlitas nempe olim aliquos in Synagogis ſuis verſionem Græcanicam

cam ſeptuaginta interpretum uſurpaſſe. Atqui ſi Ἑλληνιστὴς, eſt proſelytus Grȩce doctus, Ebraice ignarus, omnia illa commenta corruunt, de Helleniſtarũ origine Iudæorũ, Ebraice dimidiatim ſcientium, Græco ſermone Ebraizante utentium, linguam Helleniſticam, inde nuncupatam, unam ex Græciæ dialectis conſtituentium. Nos vero efflictim negamus, Iſraëlitas ullos unquã extitiſſe qui Græca Bibliorum lectione uterentur in Synagogis. Quo uno argumento omnis Helleniſtica lingua cum ſuis Helleniſtis Iudæis ἐκ τῶν οὐκ ὄντων εἰς τὰ οὐκ ὄντα redibit. Non alia mens, aliud propoſitum, alius mos fuit antiquorum Iudæorum atque hodiernorum. Nulli hodie Iudæi toto orbe diſpȩrſi alia lingua legunt ſcripturam quam Ebraica. Arabica haud minus nunc late patet quam olim Græca. Potentiſſimæ imperiorum ditiones in Oriente & Occidente latiſſime fuſæ ea lingua utuntur. Iudæorum numerus pæne infinitus per omnes Orientis partes uſque ad ultimam Indiam abundat, & ſub illis præcipue imperiis ubi Arabica in uſu eſt. Haud pauciores nunc reperire eſt Iudȩos qui Arabice ſciant quam olim erant qui Græce. Immo plures multo eſſe dixerim hoc tempore & aliquot retro ſæculis extitiſſe Arabice gnaros,

ros quam Græce dum lingua Græca viguit. Habent legem Arabice verſam ante quingentos & amplius annos à quodam celebri magiſtro, Saadia Gaone. Arabica religio longe magis affinis eſt Iudaicæ, utpote quæ inde plura traxerit, quam ex Græca antiqua, ex qua nihil fere habet. Quod eſt præcipuum in Iudaiſmo, circumciſionem habent, unum Deum colunt, idololatriæ maxime inimica eſt, & ſic Ἑλληνισμῷ inprimis contraria. Et cum hæc ita ſint, Iudæi nuſquam hoc tempore, in illis locis, in quibus pollet ſermo Arabicus, eumque ipſi iam pro naturali habent, & ubi maximus eorum eſt numerus, Arabica lingua legem legunt in ſuis Synagogis. Et tamen plures cauſæ ſunt quæ Iudæos hodiernos invitare poſſent, ad lectionis Arabicæ uſum, quam antiquos ad Græcæ. Nunc igitur audacter concludemus, & vere, nullum eruditorum, vel infimorum, vel medioxumorum, vel ſummorum, tam ſtultum fore, quin clariſſime ex his quę dicta ſunt liquere ſtatuat, tum Ἑλληνιστὰς origine Iudæos non fuiſſe, tum Græcæ lectionis uſum ex ſeptuaginta interpretibus fuiſſe in nullis Iſraëlitarum Synagogis, haud ſane magis quam Syriacæ, Arabicæ, aut Perſicæ. In quas linguas converſam habuiſſe legem Iudæos,

G con-

conſtat. Certe & Pentateuchum tribus illis linguis verſum Iudæi Conſtantinopolitani edendum curaverunt cum commentariis Salomonis Iarchi.

## *Ad Sectionem* II.

IN hac ſecunda Sectione Exercitatoris Helleniſticarii, quam iam diſſecabimus, quæritur, inquit Nobiliſſimus Heinſius, an Ἑλληνισταὶ, de quibus actum eſt in ſuperiori Sectione, alicubi in Novo Teſtamento vocentur Ἕλληνες. Salmaſium id ait negare, qui & Heinſium hoc aſſerentem non dubitat reprehendere. Locus Iohannis qui hanc litem movit habetur cap. VII. τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου, his verbis: Μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; Mirum viſum eſt Salmaſio, τοὺς Ἕλληνας eo loco ſacrũ Exercitatorem potuiſſe accipere pro Iudæis, qui genere tales eſſent, & Græce loquebantur ac ſciebant, eoſque eſſe qui vulgo dicerentur *Helleniſtæ*. Nunc ut meum iudicium interponã, libere dicam, ſi Helleniſtas eos intellexiſſet qui ſunt, Nobiliſſimus Heinſius non tantopere peccaſſet. Nam cum Ἑλληνιστὴς ſit omnis qui Ἑλληνίζει, & Græce loquentium duo ſint genera, Græci nempe,
hoc

hoc eſt, Ἕλληνες qui Græcæ originis ſunt, & qui,cum genere Græci non ſint,ſermone tamen Græco utuntur : illi proprie Ἕλληνες dicebantur , iſti Ἑλληνισταί. Utriuſque generis proſelytos in Iudæorum religione fuiſſe,non eſt dubium. Utrique tamen vocantur Ἑλληνισταὶ, cum veris Iudæis opponantur,quia vox Ἕλλην in Novo Teſtamento latiſſima ſignificatione fere ſemper accipitur pro gentili & pagano , hoc eſt, Græcorum ſuperſtitionem ſectanti. Ut Iudæus contra generali notione pro omni homine ſumitur qui Iudaiſmum amplexus eſt, cuiuſcunque ſit gentis aut generis. Et hoc ſenſu,quo Ἑλληνιστὰς etiam complectitur,ſolet in ſacra Novi Fœderis ſcriptura opponi τῷ Ἕλληνι, quo omnis paganus & idololatra, cuiuſcunque tandem habeatur nationis,intelligitur. Videndum igitur, an nomen Ἕλληνος, quod ubique in ſcriptura opponitur τῷ Ἰουδαίῳ,poſſit interdum in eadem ſcriptura accipi pro Iudæo. Hoc ſi eſt, iungendi iam ſunt gryphes equis, nec quicquam vetat, quin omnia, vel medium fiant mare, vel in antiquum chaos redigantur. Certe in poſterum,ſi id obtineret, nox diei nomen locumque occuparet, Aethiops indifferenter album & atrum hominem ſignificaret. Sacrilegus pro ſacricola

poſſet ſumi, & idolorum venerator tranſiret in appellationem eius qui Deum unum pura colit mente. Nec enim minus quam illa quæ poſuimus inter ſe pugnantia ſunt, & contraria, Ἰουδαῖος & Ἕλλην. Expendendum locum, de quo quæſtio eſt, Nobiliſſimus Sector cenſet in hunc modum: Servator noſter Iohannis VII. diſputans cum obfirmatis Iudæis, inter alia iis dicebat, Ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετε. Illi autem inter ſe diſputantes, ſic murmurabant: ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; Tota rei difficultas in una voce διασπορὰ iacet. Abſque hac una foret, nemini dubitandum relinqueretur, quin Ἕλληνες in vera ac genuina ſignificatione eſſent accipiendi, qua ſolent in Novo Fœdere accipi. Quoniam autem non poſſunt Helleniſticarii aliam διασπορὰν hic intelligendam imaginari, præter illam de qua loquitur Iacobus, qui inſcripſit Epiſtolam ſuam ταῖς δώδεκα φυλαῖς τῆς διασπορᾶς, ideo Ἕλληνας iſtos de Iudæis originariis accipere properant. Curriculo licet viam peragant, nunquam eo pervenient, ut efficiant, Iudæos poſſe dici aut unquam dictos eſſe Ἕλληνας. *At quis unquam*, inquiunt, *de Græcorum diſperſione, apud quem*

*publi-*

*publicum ſcriptorem, legit?* Poſtulent deinde ſit edoceri quomodo gentes poſſint dici diſperſæ, tempuſque, quando earum diſperſio contigit, ſibi indicari. Quidquid dicant, non poterunt perſuadere, ut illo loco Iohannis Ἕλληνες ſint Ἰουδαῖοι, non ſane magis quam ut hæreticus capiatur pro orthodoxo, & Muhammedanus pro Chriſtiano. Cum duo duri & abſoni ſermones occurrunt, videndum ſemper uter ſit difficilioris intellectus. Durum quidem videtur, διασπορὰν etiam dici de Græcis, quæ proprie ſit Iudæorum: ſed longe durius, ut Ἕλληνες intelligantur de Iudæis. In hoc ſtandum, id nulla ratione dari poſſe. Ergo illud concoquendum de διασπορᾷ Græcorum, & cogitandum, quomodo & Græcis tribui poſſit. Animadverſione dignum eſt, Iacobum inſcripſiſſe Epiſtolam ſuam ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, *Duodecim tribubus quæ ſunt in Diaſpora,* non τῇ Διασπορᾷ τῶν δώδεκα φυλῶν. Petrus quoque παρεπιδήμους τῆς Διασπορᾶς vocavit illos Selectos ad quos priorem Epiſtolam direxit, id eſt, *inquilinos Diaſporæ.* Nomen Διασπορᾶς videntur uſurpaſſe pro regione in qua diſperſi incoluere Iudæi, non pro ipſa diſperſione. Hinc in Epiſtola Petri priore Διασπορᾶ Πόντου, eſt ponti regio in qua diſperſi Iudæi. Διασπορᾶ

Καππαδοκίας, Γαλατίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας, pro regione vel provincia Cappadociȩ, Galatiæ, Aſiæ, Bithyniæ, cuius erant παρεπίδημοι Iudæi in unaquaque Διασπορᾷ degentes. Inde & Iacobo, Δώδεκα φυλαὶ αἱ ἐν τῇ Διασπορᾷ, *Duodecim tribus in Diaſpora agitantes.* Quemadmodum ergo Διασπορὰ Πόντου, & Γαλατίας, apud Petrum regio eſt Ponti & Galatiæ, quam diſperſi incolebant Iudæi, ita apud Iohannem Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων, eſt regio Græcorum, vel etiam Gentium, quam inhabitabant Iudæi, qui ubique terrarum erant diſperſi. Πορεύεσθαι itaque εἰς τὴν Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, nihil aliud eſt, quam ad gentes ire, & in regionem gentium, quam Διασπαρέντες Ἰουδαῖοι inhabitant, proficiſci, ibique gentes ipſas docere, non Iudæos qui inter ipſas diſperſi degunt, quia verbum Dei admittere iſti nolebant. Iudæi ſunt qui iſta dicunt apud Iohannem, ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι; μὴ εἰς τὴν Διασποράν τῶν Ἑλλήνων, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; *Quo hic proficiſci cogitat? An in gentium Diaſporam, & ibi gentes docere?* Enimvero Hieroſolymitani Iudæi nunquam fratres ſuos, æque à ſtirpe Iudæos, inter gentes degentes, appellaſſent Ἕλληνας, id eſt, paganos & idololatras. Quod enim hic argutatur vir ingenioſorum Nobiliſſimus, *Adverſarios Servatoris noſtri noluiſſe,*

*eum*

*eum ire ad Iudæos qui in diſperſione erant, quod odio eos proſequerentur Vatiniano, tum propter rituum quorumdam diverſitatem, tum propter Græcam linguam qua in Synagogis ſuis utebantur*, hæc multis modis falſa ſunt & abſurda. Primum, non dixit eo loco Iohannes, Iudæos, Chriſti adverſarios, noluiſſe, eum ire ad Iudæos qui in Diaſpora manebant: & nihil tale tinniunt Euangeliſtæ verba. Cum Chriſtus eis dixiſſet, *Quæretis me, nec invenietis*, putabant, diſcedere à ſe eum velle, & in longinquam aliquam regionem pergere, ubi quæſitus non inveniretur. Ποῦ *μέλλει* inquiebant οὗτος πορεύεσθαι; *Quo iturus iſte eſt?* Deinde quaſi coniectantes quo pararet contendere, dicebant, μὴ εἰς τὴν Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι; *Numquid cogitat ad gentes, quarum regionem noſtri fratres nimirum ex diſperſione incolunt?* Poteſt & vox Ἑλλήνων, eo loco pro nomine nationis accipi, & ipſos Græcos denotare. Somniavit igitur Nobiliſſimorum ingenioſiſſimus, noluiſſe Hieroſolymitanos Iudæos illis verbis, Chriſtum ire ad Iudęos diſperſionis, quod odio eos proſequerentur maximo. Præterquam quod nihil ſimile ea verba ſonant, huius etiam ſomnii nulla eſt ratio. Si oderant Iudæi Hieroſolymitani Iudæos

τῆς Διασπορᾶς, an hæc ſatis idonea illis cauſa fuit, quamobrem ad eos Chriſtum nollent pergere, eoſque docere? Doctrinam ipſi Chriſti recipere nolebant, quia falſam iudicabant. Tanto ergo citius paſſi eſſent, eum doctrina tam perverſa imbuere quos tantopere odiſſent. Si eos dilexiſſent, tam parum charitatis erga fratres ſibi dilectos non oſtendiſſent, ut malum quod à ſe amoliri ſtudebant, in illos tranſmoveri vellent. Non etiam tam male de fratribus ſuis ſentiebant, ut eos crederent eſſe ambabus ulnis recepturos dogma quod ipſi reiiciendum iudicaſſent. Ad Græcos igitur ac Gentiles Chriſtum ſua coniectura amandabant, ubi ſe apud Iudæos nihil proficere poſſe ille videret. Quod autem Chriſtus Iudæus eſſet, qui ad gentiles ire non poſſet, quin ibi conſiſtentibus in Diaſpora Iudeis fratribus id notum foret, cum Græcos doceret, ideo Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων Iohannes dixit, ἀντὶ τῆς χώρας τῶν Ἑλλήνων. Hæc eſſe veriſſima, præſto. Nec aliter Cyrillus interpretatur, qui χώραν τῶν Ἑλλήνων exponit quod eſt apud Euangeliſtam Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων. Οὐ γὰρ ὅτι πρὸς οὐρανὸν ἀναβήσεταί φασιν, ἀλλὰ τὴν Ἑλλήνων φαντάζονται χώραν. Adde quod Iudæi inde accuſandi Chriſti anſam arripere volebant, quod alienigenis legem videretur

vel-

velle, ut coniectabant, interpretari. Τὸ γὰρ ἐξηγεῖσθαι, inquit idem Cyrillus, ἀλλογλώσσοις τὸν νόμον, οὐκ ἀνέγκλητον παρ' αὐτοῖς. *Non enim culpa vacabat apud Iudæos, legẽ enarrare alienigenis.* Et qui hoc facerent, non leviter increpat Deus per Prophetam, καὶ ἀνέγνωσαν τοῖς ἔξω νόμον, *& prælegerunt extraneis legem.* Et hæc cauſa odii Hebræorum ſive Iudæorum verorum adverſus Helleniſtas, hoc eſt, Græci generis proſelytos, quod Bibliis Græce verſis uterentur, & ſic prælegerent legem, & interpretarentur τοῖς ἔξω, alienigenis & extraneis. Falſum proinde quod vult Heinſius, falſum eſt, Hieroſolymitanos, & Iudææ Iudæos, ideo ſummo odio proſequutos eſſe Iudæos Diaſporæ incolas, quod Græca lingua in ſuis Synagogis uterentur. Hoc ſumitur ab ingenii Nobiliſſimi viro; non probatur. Helleniſtæ ſunt, id eſt, Προσήλυτοι Ἑλληνίζοντες, qui verſione τῶν ſeptuaginta utebantur, non Iudæi Diaſporæ. Suum illud probet, & vir eſto non ſolum ingenioſiſſimus, ſed & Nobiliſſimus. Non etiam probo viri undequaque doctiſſimi interpretationem, qui eo loco Iohannis, Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων exponit, de Antiochia aut Alexandria, quo multi Iſraëlitarum migrarunt ſub ſucceſſoribus Alexandri. Nec rationem audio, qua hanc explicationem

firmare nititur, *quia Syria & Aegyptus minus longe aberant à Iudæa, & plurimi inde Hieroſolyma feſtis diebus veniebant, non item ex Mediæ partibus*. Quaſi vero non aliæ Διασποραὶ fuerint Iudæorum præter illas duas, quas ponit, priorem Babyloniorum , alteram Græcorum! Omnis locus in quo Iudæi exulabant, Διασπορὰ eorum dicitur. Hinc Roma etiam & totus occidens, poteſt etiam dici Διασπορὰ Iudæorum. Verum de his alibi. Nec enim hic tractamus niſi de Helleniſtica. Pergit, & ait Exercitator: *Iudæos qui erant* ἐν τῇ Διασπορᾷ *vocari* Ἕλλωας, *quia inter eos magnam partem aut nati aut viventes Græca lingua utebantur. Quemadmodum Iudæos ex Hiſpanis oriundos vocare ſolemus* ספרדים, *& Gallos* צרפתים. Si ponere aliquid ſatis eſſet, cuius probatio dicenti non incumberet, iſtoc nemo vinceret ſolertis ingenii virum. Si Ἕλλωες abſolute, id eſt, Greci, vocarentur, qui in Græcia nati aut incolentes, ſic Germanos hodie ſimpliciter appellaremus, qui in Germania vivunt, & Luſitanos qui in Luſitania. Et ſic de aliis. Si quis mihi nunc diceret, Nobiliſſimum Heinſium, propter odium, quo plus quam Vatiniano proſequitur Salmaſium, Bataviam velle relinquere, & cogitare ad Italos ire, aut Luſitanos, ut doceat eos quod in lingua

lingua ſua ignorant, an coniectare poſſem, de Luſitanis & Italis Iudæis id eſſe intelligendum? Et, ſi ſciam, tantum eum eſſe in Ebraiſmo doctorem, ut ipſos magiſtros erudire poſſet, & nihil noſſe in Luſitanica lingua aut Italica, non poſſem tamen coniicere, qui ad Italos eat, aut Luſitanos, intelligi ab eo poſſe ad Iudæos Italiæ aut Luſitaniæ proficiſci. Qui volet mihi indicare Iudæum ex Hiſpanis aut Gallis, non eum vocet abſolute Gallum vel Hiſpanum, ſed Iudæum Hiſpanum, aut Iudæum Gallum. Ita & ſi quis olim de Iudæo in Græcia nato loqui voluit, non Ἕλληνα ſimpliciter eum vocavit, ſed Ἰουδαῖον Ἕλληνα vel Ἑλληνικόν. Quod & ipſum tamen nuſquam legitur, niſi de lingua & affectu, nunquam de patria. Sic enim dicitur Ἰουδαῖος τῇ γλώττῃ, καὶ τῇ ψυχῇ Ἑλληνικὸς, qui mente & lingua Ἑλληνίζει, qui genti Græcorum favet, & ipſorum linguam didicit. Ut apud Ioſephum lib. 1, contra Apionem, ex Clearcho, qui cuiuſdam Iudæi meminerat, quem Ἑλληνικὸν οὐ τῇ διαλέκτῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ ψυχῇ eſſe dixit, non ſolum ſermone Græciſſantem, ſed etiam mente & affectu, quod Græcos nimirum diligeret, & genti illi faveret. Cæterum Ἑλληνικὸν, aut Ἕλληνα gente, aut genere aliquem Iudæum dici, nuſquam legere

eſt.

eſt. A civitatibus, quarum cives erant, denominabantur, Ἀλεξανδρεῖς, Ἀντιοχεῖς, Ῥωμαῖοι, Ταρσεῖς, & ita de cæteris. Cum enim nomen Ἕλληνος valde eſſet inter Iudæos odioſum, & infame, propter Græcorũ idololatriam, à qua mirum in modum averſi erant Iudæi, ideo non temere quis, qui Iudæo gratificari vellet, quamvis in Græcia nato, Ἕλληνα eum aut Ἑλληνικὸν nominaſſet. Si rationes non ſufficiunt, credo exemplum, ubi Ἕλλην ſit idem cum Iudæo Græco. Adfertur ex alio loco Iohannis, cap. XII. verſ. XX. Ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. His verbis allatis infert ſtatim decretorio illo ſuo ſtylo, ut decebat Nobiliſſimũ, *Hi Ἕλληνες quin iidem fuerint cum τοῖς Ἑλληνισταῖς, Iudæis nempe per Græciam diſperſis, Græcaque lingua in ſacris utentibus, quis dubitare auſit?* Ego ſum qui dubitare audeo. Quod maius eſt, ac maioris etiam confidentiæ, non dubito quin id falſiſſimum ſit. Ferri utcunque poſſet, ſi per Ἕλληνας intelligeret proſelytos Græcos: id ipſum tamen, propter alium uſum ac diverſam huius vocis Ἕλλην notionem qua ſumitur in Novo Teſtamento, vix omnino ferendum. Gentilem quippe paſſim ſignificat, non eum qui gentilitati renuntiavit. Quinetiam Iudæi ſæpe appel-

lantur, & Iȣδαίων appellatione, cum τοῖς Ἕλλησιν, id eſt, Gentilibus, opponuntur, comprehendi conſueverunt. Ipſe hoc etiam vidit Exercitator Helleniſticarius, in hac Sectione, & fatetur, *Nec per* Ἕλλωας *hoc loco* Προσηλύτȣς *ex Græcis intelligi poſſe, quia nuſquam ſic Spiritus in Novo Teſtamento loqui ſolet.* Sed ab eo quæro, an Spiritus Sanctus ita loqui ſoleat in Novo Teſtamento, ut Ἕλλωας appellet qui Iudæi ſunt origine? Nuſquam ita loquutus reperietur. Multo magis ita dici conveniret ipſos Ἑλλωιςὰς. Nam ſæpe Ἕλλω & Ἑλλωιςὴς pro eodem ſumitur, at nunquam Ἕλλω pro Iudæo. Nam hic locus qui in manibus, eſt longe aliter accipiendus. Et vero aliter debere accipi, vel Spiritus Sancti conſuetudo nos docet, qui nuſquam vel Προσηλύτȣς ex Græcis, ſoleat Ἑλλώων nomine nuncupare. Si enim qui Græcæ ſunt originis, & ſermonis Græci, propter id ſolum quod Iudæorum ſeſe religioni adiunxerint, non appellantur à Spiritu Sancto Ἕλλωες, multo minus Iudæos à ſtirpe veros ac genuinos, gentilitatis, hoc eſt, Ἑλλωισμȣ̃ hoſtes infeſtiſſimos, Ἕλλωας nuncupaverit. Ut de duobus contrariis una definitio non datur; ita nec eadem denominatione noſcitantur. Quod fieret, ſi Ἕλλω, id eſt, gentilis, Iudæum

dæum denotaret,& Iudæus Gręci ſive Gentilis nomine gauderet. Præterea ſi verba Græca conſiderentur, non hoc ſonant, omnes illos fuiſſe Ἕλληνας qui aſcenderunt Hieroſolyma, ut adorarent in Feſto. Ut hic ſenſus conſtaret, ſic verba debuerant ordinari, ἦσαν δέ τινες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων Ἑλλήνων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. *Erant vero quidam ex Græcis aſcendentibus Hieruſalem, ut adorarent in Feſto.* Ita concepta oratio, omnes illos qui aſcenderunt fuiſſe Ἕλληνας indicaret. At ſic formata eſt, Ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. Cuius hic ſenſus eſt: *Erant vero quidam Græci ſive gentiles inter eos,* ſcilicet Iudæos, *vel cum illis, qui aſcenderant propter Feſtum, ut adorarent.* Ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, *ex aſcendentibus*, hoc eſt, ex his vel cum his qui aſcendere ſolent. Quotannis magnus numerus Iudæorum ex Aſia tota,& Græcia,aliiſque Διασπορᾶς regionibus, ſolebant Feſti tẽpore Hieroſolyma venire, ut adorarent. Inter illos quidam ex gentilibus,vel Gręcis,forte tum una aſcenderant, vel curioſitatis gratia, ut illa gens πανηγύρεις,& ſollemnes ἑορτὰς,in magnis urbibus publice & πανδημεὶ celebrari ſuetas, frequentare ſolita erat, vel etiam adorationis. Illi igitur ἀναβαίνοντες, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν

τῇ

τῇ ἑορτῇ, Iudæi ſunt. Illi τινὲς, Ἕλλωες quidam ex Græcis gentilibus, qui cum Iudæis apud ſe habitantibus, & Hieroſolyma propter Feſtum contendentibus, una venerant. Hac interpretatione, quæ ſimpliciſſima eſt, & Græcis verbis unice convenit, omnes aboleſcunt difficultates, quas ſibi fingit Exercitator de gentilibus, non comparere ſolitis Hieroſolymis in Feſtis aut magnis Iudæorum diebus. Nam ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα προσκυνήσωσιν, Iudæi erant, quibus immixti Ἕλλωες illi τινὲς, viſendæ ſollemnitatis gratia eo tempore Hieroſolyma venerant. Cæterum tametſi accipiatur, ut vulgo interpretantur, quid inde conſequatur mali? Quis dixit Helleniſticario, Græcos gentiles Hieroſolymis in magnis Iudæorum diebus & Feſtis ſollemnibus nunquam comparere ſolitos? Immo certum eſt, per eius ſollemnitates refertam fuiſſe urbem ſanctam omni genere hominum, & præcipue Græcorum. Quorum curioſitatem qui non novit, & conſuetudinẽ urbium celebrium inviſendarum, cum πανηγύρεις in iis agebantur, aut alia ſollemnia Feſta, non tantum ſcit quantum Helleniſticarius, qui hoc tamen videtur neſciſſe. Sed addit, *coramque Deo preces effundere*. Multi ſane non eo animo ac propoſito tempore Feſti Hieroſo-

roſolyma adire ſolebant, ut adorarent, ſed tamen certum eſt, non paucos religioni Judæorum faventes & addictos, quamvis ſe circumcidi nollent, nec proſelyti fierent, multas Iudaicas cærimonias obſervaſſe, in templo adoraſſe, etiam ſacrificaſſe. Romæ ſub imperatoribus multos conſtat Sabbatizaſſe, & alios ritus ex Iudaica ſuperſtitione coluiſſe. Notum illud Horatii. *Hodie triceſima Sabbata. vin tu Iudæis caſtis oppedere?* Ad rem nihil facere dicit Helleniſticarius, *quod Heliodorus hoſtiam in templo obtulerit, ut in hiſtoria Maccabæorum narratur.* Cur non facit? Cui hoſtiam in templo offerre permiſſum eſt, multo magis ſimpliciter adorare ei conceſſum foret. *Accenſenda illa iis ſunt,* inquit, *quæ raro contingere ſolent.* Quaſi vero raro illud contingens admiſiſſent Iudæi, ſi lege ſua & moribus id illicitum iudicaſſent? Quod ſemel factum & receptum eſt, potuit & pluries fieri. Et quamvis neſciamus quoties factum ſit, quis neget, potuiſſe ſæpius fieri, ſi conſtat licuiſſe? At licitum fuiſſe, inde poteſt conſtare, quod aliquando admiſſum eſt. Et fuiſſe vero ſæpius, non eſt dubitandum, quia multis permiſſum hiſtoriæ narrant veridicæ. Marcus Agrippa Herode Iudæam obtinente Hieroſolyma dicitur aſcendiſſe, viſendi templi

gratia,

gratia, & quamdiu ibi fuit; quotidie templum acceſſiſſe, ut refert Philo, in legatione ad Caium, τερπόμενος τῇ θέᾳ, καὶ τῆς κατασκευῆς, καὶ τῶν θυσιῶν, καὶ τῆς περὶ τὰ ἱερουργούμενα λειτουργίας, καὶ τάξεως, καὶ τῆς περὶ τὸν ἀρχιερέα σεμνότητος, ὁπότε ἀσκηθείη τῇ ἱερᾷ στολῇ, καὶ κατάρχοι τῶν ἱερείων. *Oblectans animum contemplatione ſacri apparatus, & ſacrificiorum ordine, viſendæque maiſtatis in ſummo ſacerdote, cum ſacra veſto ornaretur, & praeſſet ſacrificiis.* In templum intromiſſum Agrippam, hæc declarant. Nec enim aliter hæc omnia, quæ ad ſacrificiorum ritus & ordinem pertinent, & cultũ ſacerdotalem ſummi pontificis, & victimarum oblationes, ſpectare valuiſſet ac contemplari. Quinimmo cum inde exiit Agrippa, laudatus, & deductus ad portam uſque, ab omnibus Iudæis, οὐχ ὑπὸ μιᾶς πόλεως, ἀλλ' ὑπὸ τῆς χώρας ἁπάσης, φυλλοβολούμενός τε, καὶ θαυμαζόμενος ἐπ' εὐσεβείας; ob pietatem certatim à Iudæis florum iactu honorabatur, & extollebatur laudibus ſummis, ἐπ' εὐσεβείας, quod ſæpius in templo preces ad Deum effunderet, quod victimas offerret Deo, quod denique cultum ac reverentiam ſummi numinis quod à Iudæis colebatur, quibuſcunque poterat modis oſtenderet. Ipſe Auguſtus, ut idem narrat Philo, in eodem libro, ex proprio cenſu

H victi-

victimas holocauſtas, ſingulis diebus in templo Hieroſolymitano ad altare cædundas, conſtituerat, Taurum unum, & duos agnos. ἐξ ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ὑψίστῳ θεῷ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται. Ἄρνες εἰσὶ δύο, καὶ ταῦρος, τὰ ἱερεῖα, οἷς Καῖσαρ ἐφήδρυνε τὸν βωμόν. Licuit ergo, ut ex his cõſtat, gentilibus in templo orare, & ſacra facere, cæſis victimis. Sacrificare nemo poterat, niſi templum ingrederetur. *At Ethnici*, inquit, *neque Hieroſolymis in Feſtis maioribus preces ſuas Deo offerre ſolebant, neque ſi voluiſſent, à Iudæis in templum fuiſſent admiſſi.* Quis Helleniſticarium docuit, Iudæos olim ita arcuiſſe à templi ſui aditu profanos & gentiles, ut hodie Turcæ à Meſchitis ſuis Chriſtianos prohibent? An non licuit Gentili, in ea parte templi Hieroſolymitani conſiſtere, in qua trapezitis menſas ſuas tenere, & negotiatoribus columbariis mercem ſuam promercalem habere, licitum fuit? Certe debuit acceſſus etiam gentilibus patere ad menſas collybiſtarum permutandæ pecuniæ gratia. Atqui Dominus cum menſas eorum everteret, eoſque templo eiiceret, hoc dicto increpuit, quod ex domo orationis Emporium facerent. Ergo eo ſaltem in loco templi ubi emere & vendere licitum

erat,

erat, ac pecunias permutare & fœnori dare, licuit etiam gentilibus orare. Publicanus in templo orabat haud longe à Phariſæo. Scio, poſſe dici, publicanos fuiſſe in Iudæa etiam Iudæos. Reſpondeo, vel iſtos æque inviſos & odioſos Iudæis extitiſſe, ut Ethnicos. Inde illa, ex Euangelio, *is tibi ſit ſicut Ethnicus & publicanus*. Helleniſticarius alio argumento utitur, quo firmet, Iudæos prohibuiſſe templi ſui introitũ qui non Iudaizarent. *Paulum*, inquit, *diſcerpere voluerunt, quod crederent, Trophimum origine Græcum aut Ethnicum ab eo in templum introductum eſſe*, Act. xxi. Non hoc ſolum obiectabatur Paulo quod Trophimũ in templum introduxiſſet, ſed quod cærimonias tolleret, circumciſionem non neceſſariam pronuntiaret, & Moſis legem in omnibus abrogaret. Ab iſtis, quod Trophimum, natione Græcum, gentilem & incircumciſum, in templum introduceret, & illud profanaret, accuſabatur. Animo legis abolendæ, & cærimoniarum omnium cum circumciſione tollendarum, cum gentili templum ingreſſus ferebatur. Ne Iudæis quidem qui Chriſti fidem acceperant, eo nomine acceptus erat, qui circumcidi volebant quicunque ex gentibus Chriſtiani fierent. Ideo coactus eſt Timotheum circumcidere, ut grati-

tificaretur Iudæis χριςιανίζυσι. Si quis vero ex gentilibus devoto animo, & benevolente religioni Iudaicæ, templum adoraturus intraſſet, non credo hoc illi interdictum fuiſſe. Iudæi, qui magno ſtudio & zelo proſelytos acquirere laborabant, qui eius rei gratia maria ac terras circumibant, templum ſuum clauſum eſſe gentilibus non videntur velle debuiſſe, ut ſic eos allicerent amplitudine & pulcritudine loci. Quibus rebus non parum afficiebantur gentiles: magnificentia nimirum, & decoratione ædium ſacrarum. Quibus omnibus etiam hodieque populum maxime moveri, nemo neſcit. Exemplum etiam Eunuchi Aethiopis Reginæ Candaces, qui VIII. Actorum dicitur Hieroſolyma acceſſiſſe, ut adoraret, Templum gentilibus patuiſſe ad adorandum, manifeſtam facit fidem. Hariolatio Helleniſticarii, cum Baronio aſſerentis, eum aut natione Iudæum, aut ſaltem proſelytum fuiſſe, ſine ullo fundamēto eſt, cum ſcriptura hoc non dicat. Apologia quam inſtituit Petrus propter Cornelium baptizatum, quam ſexcentarum rationum inſtar habere vult Helleniſticarius, ut probetur, Aethiopem proſelytum fuiſſe, ne pro una quidem apud me valet. Immo contrarium mihi plane perſuadet. Non bapti-

baptizaſſet Cornelium Petrus abſque expreſſo Spiritus ſancti mandato per viſionem in extaſi dato, neque Aethiopem Philippus, niſi iuſſus ab Angelo Dei. Uterque ergo ex gentilibus, tam Aethiops, quã Cornelius. Proſelytos quippe primo, id eſt, Ἰουδαΐζοντας, & Iudæos, recipiebant ad fidem Chriſti diſcipuli, non item gentiles. Nec etiam poſtea feciſſent, niſi interveniſſet Spiritus ſancti iuſſio, id facere præcipientis, in Aethiope primum, deinde in Cornelio. Non murmurarunt contra Philippum, qui Aethiopem baptizarat, quia ſtatim id notum fuit fratribus Hieroſolymis conſiſtentibus, quod actum eſt prope urbem in via qua deſcenditur Gazam. At viſio qua iuſſus eſt Petrus baptiſmum impertiri Cornelio, accidit Ioppe. Ideo priuſquam reſciviſſent Apoſtoli & fratres, in Iudæa conſiſtentes, quæ cauſa Petrum impuliſſet ad baptiſmum gentili dandum, non poterant id probare, & contra Petrum murmurabant. Ab illis duobus exemplis admoniti Chriſti diſcipuli iudicarunt, Deo placitum eſſe, ut deinceps gentiles ad ſalutem & baptiſmi fidem admitterentur. Sic ſexcentæ illę rationes, quibus effici volebat Helleniſticarius, Aethiopem fuiſſe Iudæum, aut proſelytum, prorſus in fumos evaneſcunt, &

in irritum cadunt. Præterea vel unicus Iohannis locus ſatis teſtatur, Ἕλλησιν adoraturis templi ingreſſum non fuiſſe vetitum in maioribus Iudæorum Feſtis. Nec enim fieri poteſt, ut Ἕλληνες ibi aliter accipiantur quam de gentilibus. Recte etiam viderunt Græci patres, non poſſe alio modo exponi, qui eos Ἕλληνας ad Philippum veniſſe volunt; de Iudaiſmo accipiendo cogitantes. Hos dum errare contendit Helleniſticarius, ipſe vehementer fallitur. Nemo interpretum, nec veterum, nec recentiorum, aliter accepit. Cyrillus ad eum locum de his gentilibus interpretatus eſt, qui à Philoſophis edocti unum Deum colebant, & propterea ad Iudæorum religionem inclinabant, quibus unius Dei cultus obſervabatur. Hi mediam quamdam, inter gentilem & Iudaicam ſuperſtitionem, tenebant viam. Nec proſelyti erant, nec per omnia gentium θρησκείαν ſectabantur. Θεοσεβεῖς proprie dicebantur. Cyrillus: οἱ δὲ μηδὲ πλήρη τὴν εἰς Ἰουδαίους ῥοπὴν, μήτε μὴν τῶν Ἕλλησι φίλων ἀφεστηκότες ἐθῶν, μέσην δέ τινα, καὶ πρὸς ἄμφω βλέπουσαν ἐπιτηδεύοντες δόξαν, θεοσεβεῖς ὀνομάζονται. Vocantur & εὐσεβεῖς. Immo & σεβόμενοι Ἕλληνες in Actis cap. XVII. verſ. IV. Tales multos extitiſſe tunc temporis, qua Græcos, qua Romanos,

manos, qua Syros, immo & aliarum gentium, certo certius eſt. *Impios* reddidit Syrus, quia Ἕλλην ubique in N. T. denotat gentilem & à vero Dei unius cultu alienum. Patuiſſe vero templum Hieroſolymitanum, vel certã eius partem, gentibus adoraturis, compertum eſt. Scribit Ioſephus lib. XII. Antiquitatum Iudaicarum cap. III, Antiochum magnum ſanxiſſe, ne quis alienigena intra conſeptũ templi conſiſteret, quod legibus Iudæorum ingredi nemini fas eſſet, niſi quibus ex more purificatis prius & purgatis id licitum eſſet: μηδενὶ ἐξὸν εἶναι ἀλλοφύλῳ, εἰς τὸν περίβολον εἰσιέναι τοῦ ἱεροῦ, τὸν ἀπηγορευμένον Ἰουδαίοις, εἰ μὴ οἷς ἂν ἁγνισθεῖσιν ἐστὶν ἔθιμον κατὰ τὸν πάτριον νόμον. Ergo ante quam Antiochus hoc vetitum alienigenę voluiſſet, paſſim licuit extraneo cuilibet intrare templi conſeptum. Intelligit illud ſpatium intra quod oraturis Iudæis è plebe licebat conſiſtere, qui à loco, in quo conſiſtebant ſacerdotes, diſſepto quodam dividebantur, quod γεῖσον appellat Ioſephus, & cubitalis altitudinis fuiſſe ait, lapideam nempe loricam, quem & λίθινον δρύφακτον appellat lib. VI. de bello Iudaico, cap. IV. Area illius conſepti vocabatur τὸ ἅγιον, vel ἱερὸν δεύτερον, in quo erant columnæ, quibus continebantur inſcriptæ le-

 ges

ges caſtus, Romanis & Græcis litteris, quibus denuntiabatur alienigenis, abſtinendum illis eſſe ab ingreſſu ſacri loci. Extra locum illum ipſis orare licebat, in exteriori templi parte. Ad interiorem tamen illum, qui & altare habuit, & ναὸς dicebatur, vel ἱερὸν δεύτερον vel ἅγιον, dynaſtis & magiſtratibus, aliiſque Græcis ac Romanis proceribus, liberum aditum fuiſſe, quod de Marcio Agrippa narrat Philo, teſtari poteſt. Non enim ritum ſacrificiorum, & indutum ſacra ſtola pontificem, niſi intro admiſſus, contemplari propius potuiſſet. Quæcunque autem pars templi gentibus in ea oraturis aſſignata fuerit, cum conſtet, aliquam relictam fuiſſe, de his accipi debere locum Iohannis, cuilibet liquet, cum Ἕλληνας ἀναβαίνοντας ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ dixit. Ille ipſe Salomon qui prius templum ædificavit, in legibus de templo condendus, veniam in eo adorandi gentilibus & alienigenis dedit, utque à Deo preces eorum exaudirentur, petiit, ut conſtat ex lib. III. Regum cap. VIII. verſ. XLI. *Inſuper alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum; audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique, cum venerit ergo & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cælo, in*

*lo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit alienigena.* Iam inde à principio conditi templi, alienigenis in eo licere orare, ab ipſo conditore ſancitum fuiſſe, hinc probatur. In eo templo locus erat deſtinatus ipſis ſacerdotibus, alius populo, alius extraneis & gentilibus, certis diſſepimentis invicem diſcreti. Ex his ergo conſtat, Ἕλληνας in loco Iohannis de gentilibus, ut omnes interpretes veteres & neoterici acceperunt, eſſe exponendos. Ἑλλήνων nomine Iudæos eſſe in loco Iohannis intelligendos, ideo Salmaſius negavit, quia numquam aliter vox Ἕλλην in Novo Teſtamento ſumitur quam generatim pro incircumciſis ac gentilibus. Hinc illa, inquiebat, Syrophœniſſa apud Marcum VII, γυνὴ Ἑλληνὶς dicitur, Συροφοίνισσα τῷ γένει, mulier ſuperſtitione gentilis, gente Syrophœniſſa. Poſt allata hæc è Salmaſii ſcripto verba, ſubiungit Helleniſticarius, *Sed quid hoc ad rem? Aut quæ hæc ſequela? Vox Ἕλλην aliquando in Novo Teſtamento notat gentilem, ergo ſemper eam ſignificationem habere debet?* Aſtute ſane ac ſubtiliter ſic reſpondetur ab ingenioſiſſimo viro, ſi non aërem verberaret hoc reſponſum. Salmaſii certe obiectionem non ferit. Dixit ille, nunquam aliter in Novo Teſtamento ſumi vocem

Ἕλλην,quam pro gentili & idololatra,ideo in loco Iohannis negat accipi poſſe pro Iudæo. An hoc nihil ad rem ? Non bona conſequentia eſt: Aliquid eſſet, ſi Salmaſius ſic dixiſſet, ut eum dixiſſe fingit Helleniſticarius : *Vox Ἕλλην aliquando in Novo Teſtamento notat gentilem,ergo ſemper eam ſignificationem habere debet.* Ego vero ſic argumentũ cum Salmaſio nunc firmo: In Novo Teſtamento ſemper vox Ἕλλην gentilis ſignificationem habet, ergo in loco uno Iohannis non aliam habere debet. Quid ad hoc reſpondebis, Helleniſticarie? An hoc nihil ad rem facere, & concluſiones non valere? Immo valebit etiam, quamvis propoſitionem tuo more concipere placeat. *Vox Ἕλλην aliquando in Novo Teſtamento notat gentilem.* Hoc tu concedis. Quid inde ſequitur? Id certe quod nos concludimus, non debere uſpiam alibi in eodem Teſtamento in contraria ſignificatione poni, ſi ſtylus Spiritus Sancti ſibi ubique conſonare & concordare volet. Quid enim tam contrarium, quam Ἕλλην, & Ἰουδαῖος ? Unius Dei cultor, & idolorum ? Græcus, & Ebræus? Concludamus ergo, erraſſe Ariſtarchum, accipiendo in loco Iohannis cap. VII. Ἕλληνας de Iudæis Helleniſtis, cum idem Ariſtarchus in hac ipſa Sectione neget, ſumi

poſſe

poſſe de proſelytis Græci generis, quia Spiritus Sanctus non ita loqui conſuevit. Ubi igitur nobis oſtenderet, Spiritum Sanctum Ἕλλωας alibi qui gentiles ſunt appellare, alibi Iudæos hoc eodem nomine donare, & ſic loquentem tamen non à ſe diſcrepare, tunc concederem, Ariſtarchum non erraſſe, locum Iohannis ita exponendo. Ut Ἕλληνες autem apud Iohannem, qui Hieroſolyma aſcenderant, ut adorarent in die Feſto, pii erant gentiles, qui unius Dei cultum affectabant, ita & illam Ἑλλωίδα Συροφοίνισσαν, cuius apud Marcum cap. VII. mentio, de eo genere fuiſſe vult vir maximus, quæ nec Ebræa eſſet gente, nec Iudæa religione. Atque hoc ſenſu, inquit, Ἕλλωα ſæpe dixit Paulus, omne humanum genus in Græcos & Iudæos diſpertiens. Quod nullo modo mihi poteſt probari. Ex adiunctis quippe ſemper intelligi datur, an illi Ἕλλωες, quos nominant Apoſtoli, de genere ac numero piorum gentilium fuerint, qui Deum unicum & Deum Iudæorum colebant. Nam aut εὐσεβεῖς appellantur, aut θεοσεβεῖς, aut σεβόμενοι. Aut de his dicitur, Hieroſolyma aſcendiſſe, ἵνα προσκυνήσωσιν, ut unum & verum Deum adorarent. At cum ſimpliciter & abſolute Ἕλλωες vocantur, de profanis

&

& idololatris ſunt intelligendi. Sic cum genus humanum Paulus in Ἕλληνας & Ἰουδαίους dividit, duas religiones, quæ tunc vigebant maxime, comprehendere voluit, gentilem, quam Græci maxime profitebantur, & unius verique Dei cultum, quæ erat θρησκεία Iudæorum. Quid fiet porro gentilibus impiis & idololatris, quorum longe maximus fuit numerus, ſi Paulus, diſpertiens genus humanum in Iudæos, & Ἕλληνας, nomine Ἑλλήνων ſolos illos pios ex gentilibus intellexit, qui Iudæorum Deum colere in unitate ſatagebant, cum tamen Iudæi religione non eſſent, & proſelyti fieri non curarent? Συροφοίνισσα itaque illa quæ ſimpliciter Ἑλληνὶς Marco dicitur, de gentili & idololatriæ addicta eſt exponenda, non de σεβομένῃ & unius Dei cultrice. Atque hæc hactenus.

## *Ad Sectionem* III.

ERuditorum Phœnix, quia eruditiſſimus, ut Nobilium, quia nobiliſſimus, hanc Sectionem ſic auſpicatur, dicendo, *contendere Salmaſium, Helleniſtas, unde dicta Helleniſtica lingua eſt, Ebraicæ linguæ ignariſſimos fuiſſe, & hoc expreſſe dictum à Scaligero.* Ne quis nobiliſſimum tantum putet & eruditiſſi-

tiſſimum, etiam vaferrimus eſt. Hac utitur arte, ut verbis cauſæ ſuæ velificantibus adverſarii ſententiam referat, à mente auctoris prorſus alienis. Non agnoſcit iſtos *Iudæos Helleniſtas* Salmaſius; nec *Helleniſticæ linguæ* meminit Scaliger. Neuter autem novit illos Helleniſtas unde dicta ſit Helleniſtica lingua. Salmaſius de *Helleniſtis*, non Iudæis, dixit, ignariſſimos fuiſſe Ebraici ſermonis. Helleniſticarius de Iudæis Helleniſtis accipit: excipitque, quamvis patrii idiomatis perquam ignari fuerint, non tamen per omnia alienos fuiſſe à ſancta lingua eiuſque idiotiſmis. Neque Scaligerum id cenſere, neque ratioñe ſuadere. Hoc ſane verum: neque quiſquam id niſi falſo aſſerat, qui Iudæi erant origine per illa tempora, omnes fuiſſe linguæ ſuæ imperitos. Sed de his nec Salmaſius intellexit, nec Scaliger, ex mille Helleniſtis vix unum extitiſſe qui Ebraice ſciret. Deinde quid hoc eſt, dicere: *Iudæos, tametſi perquam ignari fuerint patrii idiomatis, non tamen per omnia alienos fuiſſe à ſancta lingua eiuſque idiotiſmis?* Qui ignariſſimus eſt alicuius linguæ, an eius idiotiſmos novit, nec ab ea alienus eſt? Eiuſdem quippe eſt, linguam aliquam probe pernoviſſe, & idiotiſmos eius tenere. Hoc potius erat dicendum, quoſdam ex Iudæis illius

ævi

ævi ignariſſimos fuiſſe patrii ſermonis, alios
peritiſſimos, alios mediocriter doctos.
Quod eſt veriſſimum, tam de illius tempo-
ris Iudæis, quam de his qui hodie glan-
dem ſibi pelle denudant. Sed ut fabulæ
ὑποθέσει ſerviret, debuit Helleniſticarius ita
loqui, extitiſſe Iudęos tunc temporis, qui
cum eſſent patrii ſermonis penitus ignari,
non tamen alieni eſſent à ſanctæ linguæ
idiotiſmis. Aliter non poterant emergere
è tenebris oblivionis, ubi per tot ſæcula la-
tuerunt Iudæi illi Helleniſtæ, nec eorum
lingua nova productione creari. Cum
enim lingua ſit Græcis verbis texta, intexta
idiotiſmis Ebraicis, ideo fingendum fuit,
conditam eſſe ab eiuſmodi Iudæis qui lin-
guæ ſanctæ perquam ignari fuerint, & ta-
men non alieni extiterint ab illius linguæ
idiotiſmis. Nam ſi vel mediocriter peri-
tos dederis Ebraicæ dialecti, non erat his
cauſa, cur eas Synagogas potius adire debe-
rent, in quibus ſcriptura Græce legebatur,
quam in quibus Ebraice. Cæterum quo-
modo hoc cohærere poſſit & conſtare, non
video, ut aliquis penitus eius linguæ igna-
rus videatur, à cuius tamen idiotiſmis non
alienus ſit. Pone, ut nos facimus, ex tem-
poris illius Iudæis alios fuiſſe linguæ ſuæ
gnariſſimos, alios ignariſſimos, alios vero

me-

mediocriter doctos, à quibus dicemus conditam primum fuiſſe linguam Helleniſticam? Ab imperitiſſimis non poteſt dici. Nam quomodo idiotiſmorum Ebraicæ linguæ prorſus neſciens eos poterit inſerere Græcæ orationi? Si velis, à perfecte gnaro procuſam eſſe: poſſit quidem id eſſe quod velis, ſed refragabitur Helleniſticarius, qui perfecte doctos Ebraice in Synagogam mittit Ebraicam, ab Helleniſtica excludit. Quaſi profunde imbutus Ebraicæ linguæ peritia, ſi mediocriter Græce ſciat, non poſſit talem Helleniſticam producere quæ habeat Ebraiſmos interſertos Græciſſanti orationi! Non tamen placet noſtris Helleniſticæ patronis & creatoribus, ad hos auctores, qui attigerint ſummã eruditionem in Ebraica lingua, Helleniſticæ originẽ repetere. Hoc enim ſi concederent, Paulus fuiſſet ſummus Helleniſta. Quod nolunt. Quippe ſi hoc darent, nulla ratio daretur, cur Synagogæ ſeparari debuiſſent Helleniſtarum & Ebræorum. Una quippe eademque Synagoga Helleniſtas haberet pariter & Ebræos. Tum rueret diſtinctio Lucæ qua *Ebræos* ab *Helleniſtis* diſcriminavit. Sed ſi Ebraicæ linguæ exacta cognitione perpoliti à cenſu ac nomine Helleniſtarum ſegregandi ſunt, quid fiet ſeptuaginta duobus inter-

interpretibus qui Biblia verterunt in Græcum ſermonem? Certe non poteſt ambigi quin Ebraicæ peritiſſimi fuerint. At tales qui ſint non poſſunt dici Helleniſtæ, ex definitione Helleniſticarii noſtri. Nec ergo Græcus ſermo Bibliorum quo uſi ſunt illi interpretes poterit videri *Helleniſticus*. Atqui non habent hodierni Helleniſticæ defenſores aliud fundamentum huius dialecti præter verſionem illam τῶν ſeptuaginta. Retrogradatim nunc argumentando aſcendamus. Si verſio Græca ſeptuaginta interpretum pro norma ac regula videri debet Helleniſticæ dialecti, auctores eius neceſſe eſt haberi debere pro primariis & ſummis Helleniſtis. Dictio Theocriti Grammaticis Canon eſt Doricæ Dialecti. Ergo & Theocritus bonus in primis Δωρίδος auctor cenſendus. Si autem ſeptuaginta interpretes Helleniſtæ fuere, ut Helleniſticæ linguæ habeantur optimi & idonei auctores, quos tamen conſtat Ebraicæ linguæ per quam fuiſſe gnaros, ſequetur, unum eumdemque poſſe & Ebraidis profunde ſcientem eſſe, & pro genuino tamen Helleniſta haberi. Hæc ſi ita ſint, quid illi fiet tam ambitioſe & inflate inſtituto diſcrimini, quod Helleniſticarius initio primæ Sectionis adſtruxit inter Ἑβραίους βαθεῖς, profundos Ebræos,

bræos, quos *Ebræos* Lucæ eſſe vult, & minus profundos exactoſque in linguæ Ebraicæ peritia, quibus Helleniſtarum nomen ait convenire, quorum Lucas meminit? Reſtat ergo, ex Helleniſticarii doctrina, ut mediocriter eruditi Ebræi ſoli ſint idonei qui vocentur *Helleniſtæ*. Qua ex opinione & illud neceſſario concluditur, ſeptuaginta interpretes, qui auctores fuere Helleniſticæ linguæ, & quorum verſio dialecti illius canon eſt, mediocriter patrii idiomatis fuiſſe gnaros. Iſtam mediocritatem, hoc eſt, minus exactam profundamque linguæ ſanctæ cognitionem, ſupra probabat ad Helleniſtas compingendos: nunc in hac Sectione iis confingendis adhibet imperitiam Ebraici idiomatis, quæ non ſit per omnia aliena à ſancta lingua, eiuſque idiotiſmis. Pro exemplo horum patrii idiomatis tam ignarorum, ut ii, qui in cortina tantum eius linguæ conſtiterunt, hoc eſt, nondum tincti ſunt eius linguę notitia, poſſint contendere cum aliquo è politioribus, Philonis Iudæi ignorantiam producit. Ergo Philo Iudæus ab illa imperitia Ebraici ſermonis, dignus Helleniſta fuerit, & primæ eorum claſſi adſcribendus. Si enim mediocris cognitio Ebraidis dialecti potis eſt facere probum, & idoneum claſſicumque Helleniſtam, quem

ſumma & perfecta linguæ eruditio à cenſu Helleniſtarum ſecluderet, quanto quis imperitior Ebraiſmi fuerit, tanto melior digniorque Helleniſta exiturus eſt. Unde vero illi Ebraiſmi inibunt in ſtylum Helleniſticum, qui Ebraiſmis ſcatet, cuius auctor Ebraice neſciverit? Si Ebraiſmi autem & Syriaſmi linguam Helleniſticam formant, quanto ſpiſſiores intertexti fuerint, tanto perfectior emerget Helleniſtica. At perfectionem aſſequutus Ebraicę linguæ, longe frequentiores admiſcebit loquelæ ſuæ Ebraiſmos quam qui eius linguæ mediocriter tantum gnarus eſt. Ergo profunde doctus Ebræus, qui & Ebraiſmos plures facere, dum Græce loquitur aut ſcribit, noverit, Helleniſticam meliorem & concinniorem ex ſe dabit, quam qui mediocriter Ebraicam didicerit, eoque minus Ebraiſmorum miſcendorum capax ſit, quia pauciores deterioreſque adiunget. Cæterum ſi Philo, ob linguæ Ebraicę ignorantiam, *Helleniſta* cenſendus eſt, ut velle hic videtur Helleniſticarius, ſtylum etiam eius Helleniſticum videri oportet. Si eſt, Platonis quoque orationem Helleniſtico ſtylo conditam haberi neceſſe eſt. Nam ad Platonis ideam maxime adſpirat, eamque optime exprimit Philo. Unde veteres Critici de eo iacta-

runt,

runt, ἢ Φίλων Πλατωνίζει, ἢ Πλάτων Φιλωνίζει. Qui hoc de eo dixerunt, Ἑλληνιστὴν etiam eum appellarunt. Sic enim legitur apud Photiũ de Philone: Τοσοῦτον δ᾽ αὐτὸν τοῖς Ἑλληνισταῖς παρασχεῖν θαῦμα τοῦ ἐν τοῖς λόγοις δυνάμεως, ὡς καὶ λέγειν αὐτοὺς, ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει. Falſus ſum. Non vocatur ibi Helleniſta, ſed dicitur Helleniſtis admirationi fuiſſe propter ſummam dicendi facultatem & elegantiam qua Platoni par eſſet. Qui ſunt illi Helleniſtæ qui admirabantur Philonem? An Ebraice pariter & Græce mediocriter docti? Immo primi præcipuique linguæ Græcę ſectatores, iidemque fere cum Atticiſtis. Nam cum Atticiſmus inter Græciæ dialectos excelleret, idcirco & τὸ Ἑλληνίζειν κατ᾽ ἐξοχὴν idem quod Ἀττικίζειν. Et ſic Ἀττικιστὴς idem qui & Ἑλληνιστής. Ita Philo, quem mirabantur Helleniſtæ, non minus & ipſe ſummus Helleniſta, ſed alio ſenſu & notione quam hoc nomen definitur ab Helleniſticariis, ut infra dicam. Pergit Helleniſticarius, & inſtat, Scaligerum ad Euſebium tantum dixiſſe, *vix in mille Iudæis unum repertum fuiſſe, qui Ebraice legeret*. Quis autem, inquit, inde cum Salmaſio concludat, *illos ut Ebraice legere non potuiſſe, ita nec intelligere?* Immo quis non ita concludat, ut fecit Salmaſius? Quam

multos hodie videre eſt Ebraice legentes, qui tamen non intelligunt? A lectione rudis eius linguæ primum incipit. Prius ergo legere eſt, quam intelligere. At neminem unquam vidi Ebraice intelligentem quin legere noſcat. Duplex legendi Ebraice modus eſt, cum punctis, & ſine punctis. Qui ſine punctis legere poteſt, id demum cenſendus intelligere quod legit. Quis adeo rerum & linguarum imperitus qui hoc ignoret? Id tamen ignorat virorum ſummus, dum hic ait, *inter modernos Iudæos quot inveniuntur, qui propter Grammaticæ ignorantiam ſine punctis ne ipſam quidem legem Ebraice legere poſſint? quis tamen eos ita rudes eſſe ſtatuat, ut nihil Ebraice intelligere poſſint?* Immo quis non ſtatuat, rudes eſſe, & parum intelligentes linguæ Ebraicę, qui ex Iudęis legem ſine punctis legere non poſſit? Arguatur ſophiſtice Helleniſticarius in illis, *nihil intelligere*. Qui tria aut quattuor verba, phraſim unam aut alteram Ebraice tenuerit, is quidem non poteſt dici nihil intelligere, quia pauca verba, paucas loquutiones intelligit. Sed quęſo te bona fide, dic mihi, Helleniſticariorum ſumme, an is Ebraice intelligere exiſtimandus, qui ne legem quidē ſine punctis legere poſſit? Tu Grammaticæ ignorantiam ſolam in cauſa eſſe dicis,

cis,ne poſſit legere cum intelligat? Hoc in linguis, quæ in uſu ſunt, dici poſſet. Pleroſque enim videmus legere neſcientes, linguam tamen quam infantes edidicerint, optime eloquentes, ut Ruſticos pæne omnes, & magnam opificum partem. At in linguis, quas vulgo mortuas vocamus, & quæ ex libris hauriri debent,legere primum eſt, deinde intelligere. Nemo intelligit quin legere ſciat. Multi legunt quæ nondum intelligunt. Sine punctis autem linguas, quæ puncta habent pro vocalibus adſcripta, nemini legere licet niſi intelligenti. At intelligens eius linguæ, & eam eloqui ſciens, facile etiam leget. Quod & in Arabicis uſu venit. Qui ea non leget ſine punctis, vix poteſt dici Arabice intelligere. Quæſtio hic eſt de tali intelligentia Ebraiſmi, quæ idiotiſmos omnes intelligat eius dialecti dum legit, & quæ quod vult eloquendo exprimere poteſt. Neminem autem dare eſt tam intelligentem Ebraice, ut omnia idiotiſmis Ebraicis eloqui queat, quin idem legere quoque queat, & quidem ſine punctis. Intelligentia porro eiuſmodi nobis opus eſt qua lingua *Helleniſtica* componatur, quæ idiotiſmos omnes Ebraicæ linguæ calleat, ſive eloqui meditetur, ſive ſcribere quod in mente habet. Quomodo

enim vir, adeo imperitus Ebraice ut legere neſciat, inter Græce loquendum & ſcribendum poterit idiotiſmos eius linguæ intermiſcere, qua ſenſa animi ſui exprimere nequeat, & cuius idioma ignoret? Qui autem poſſit quis eius linguæ idiotiſmos tenere cuius ſcripturam legendo aſſequi non poſſit? De his linguis loquor quæ non aliter ediſcuntur, quam lectione librorum. Pergit litterariæ Nobilitatis decus, ut nobis exponat qua mente dixerit Scaliger, vix in mille Iudæis unum fuiſſe, qui Ebraice legeret. *Scaliger*, inquit, *innuere tantum voluit, præ ignorantia neſcivisse Ebraice legere, qui utebantur verſione* LXX. *ſenum, interim non negat, iis familiares fuiſſe idiotiſmos Ebræi idiomatis, ita ut quæ redolebant phraſin linguæ ſanctæ, intelligere nequiverint*. Argute, ingenioſe, docte, facete, nihil ſupra. Præ ignorantia illi Iudæi Helleniſtæ neſciebant Ebraice legere. Præ peritia vero idiotiſmorum Ebraicorum intelligebant ea quæ redolerent phraſin linguæ ſanctæ. Si intelligebant idiotiſmos linguæ ſacræ & patriæ, in aliena & extranea lingua interſtinctos, multo magis in propria & nativa eoſdem percepiſſent. Quid igitur opus fuit eos in Helleniſtarum Synagogam relegare, ut audirent ibi ſcripturas Græce recitandas ſermone Ebraiſmum redolen-

dolen-

dolente, ſi Ebraicam intelligere quibant? At neſciebant legere. Quid tum? Nec id neceſſe habebant facere dummodo intelligerent. Non legebant Ebraice, ſed intelligebant. Ergo intereſſe Synagogæ poterant Ebraicę, in qua audienda & intelligenda ipſis tantum recitabatur ſcriptura non legenda. Properemus, ut hoc monſtrum diſpicere & excutere totum per particulas conciſum poſſimus. *Hos vero*, inquit, *non potuiſſe Biblia Ebraice legere, quis miretur? Habitabant inter gentes; nec excolendi Biblicam linguam ullam occaſionem offendebant*. De Iudæis nimirum hæc dicuntur in Diaſpora gentium manentibus. Atqui Helleniſtæ Actorum in media Iudæa habitabant, & in ipſis Hieroſolymis. Ex ſeptem diaconis, è corpore eorum ſumptis, unus tantum fuit Antiochenus: cæteri ergo Hieroſolymitani, ex ea nempe civitate in qua ea res tum acta eſt. Si non vacabat eis excolere linguam Biblicam quantum ad legendi facultatem attinet, cur maiore otio & commoditate abundarunt ad intellectum eius aſſequendum? Præſertim cum cognitio Biblicæ linguæ non poſſit cuiquam contingere niſi ex lectione Bibliorum. Quod hodiernis Iudæis inter Chriſtianos habitantibus nunc facile eſt conſequi, ut Biblicam

 lin-

linguam perfecte addiſcant , cur antiquis difficile fuiſſet adipiſci inter gentes degentibus ? An gentes tunc magis obſtiterunt diſcere volentibus Iudęis quam nunc Chriſtiani? Certe huius rei facilitas & commoditas aderat longe maior Iudæis illius temporis quam hodiernis. Templum ſtabat, Iudæa referta erat præſtantiſſimis & multis doctoribus. Quotannis Iudæi Diaſporæ Hieroſolyma ventitabant in omnibus maioribus feſtis. Si tanta eo ævo difficultas erat addiſcendæ linguæ Biblicæ, propter gentes inter quas incolebant, cur Paulus Tarſenſis ex Cilicia, ad pedes Gamalielis educatus, & in legis doctrina & Ebraico ſermone tantos progreſſus fecit, ut Ebraice loqui, diſputare, & ſcribere poſſet? Præterea, ut dixit, de Helleniſtis Hieroſolymitanis nunc agitur , qui ſi Iudæi origine fuere, non eſt veriſimile, quod Scaliger dixit, *vix in mille Iudæis unum repertum fuiſſe qui Ebraice legeret*, in hos Helleniſtas Iudæos poſſe convenire. Paulus in Actis Ἑβραΐδι διαλέκτῳ populum alloquitur, intelligens utique intelligentem Ebraice. Nec eſt quod nobis opponat Helleniſticarius profeſſor, per LXX annorum captivitatem in tantum contemptum veniſſe linguam vernaculam Iudæorum, ut multi ex his neglexerint eam

docere

docere filios ſuos ; ut refertur Nehemiæ cap. XIII. Similis contemptus nulla eſt ratio apud Iudæos inter gentes diſperſos, iam inſtaurato templo, quod inviſere quotannis ſæpius ſolebant, iam reſtituta in Ebraicam linguam ſcriptura, quam ex ea ediſcere poterant, & vero magno ſtudio ediſcebant. Cuius rei utriuſque nulla illis facultas dabatur captivitatis tempore. Præterea non omnes Iudæi eo tempore linguam ſuam dedidicerant, ut alienam addiſcerent, ſed pars tantum eorum, iique fere tantum qui uxores ex alienigenis duxerant, Azotiis, Ammonitis, & Moabitis. Filii earum maternam linguam potius ſtudebant ediſcere quam patriam, ſed ne hi quidem omnes, cum pars tantum id faceret. *Vidi*, inquit Nehemias, *in diebus illis Iudæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam cuiuſque populi ſui.* Hæc habentur apud Nehemiam cap. XIII. verſ. XXIII. Numerum eorum Iudæorum qui uxores ἀλλοφύλους duxerant, non admodum magnum fuiſſe certum eſt, ſi comparetur cum reliqua multitudine illius populi. At ne omnibus quidem eorum filiis qui tales uxores duxerant contigit, ut patriũ ſer-

monem contemnerent, adſcito peregrino, ſed parti tantum. Perſequamur Helleniſticarium, ſuis, ut feram, veſtigiis, donec ſciamus quo pervenire velit. *In Græcam*, inquit, *linguam tranſtulerunt loquutiones Ebrææ ſibi olim vernaculæ, tribus potiſſimum de cauſis.* Priuſquam tres cauſas illas diſcutiamus, hoc ipſum videamus, quod dicit, quale ſit, Iudæos tranſtuliſſe loquutiones linguæ ſibi olim vernaculæ in Græcam linguam. Quinam fuerunt à quibus tranſlatæ loquutiones in Græcum ſermonem? Quænam illæ ſunt loquutiones quas tranſlatas ait fuiſſe? An Biblicas? Cur non ſimpliciter dicit, Biblia Ebraica ab his fuiſſe in Græcum converſa? Cur in Græcum ea potius verterunt, quam in Syriacum, qui Syri erant, & eam linguam iam pro materna habebant ubi reduces ex captivitate facti ſunt? quam in Perſicam qui inter Perſas degebant? quam denique in Arabicam qui eas partes incolebant? Deinde, quod priore loco poſuimus, quinam fuere ii, qui loquutiones illas Ebraicas tranſtulerunt? Utrum qui ſciebant Ebraice, an qui neſciebãt, vel qui tantum mediocri cognitione eius linguæ tincti erant? Nec de his, nec de prorſus ignaris id veriſimile eſt. Ergo de perfectis & profundis id intelligendum. Hos etiam per-
fecte

ſecte linguam Græcam ſciſſe oportet. Non enim eam verſionem tam fideliter & perfecte procurare potuiſſent. Neminem quippe latet, non poſſe quemquam aliquam linguam alia reddere niſi qui utramque æque bene calleat. Videndum etiam quibus eam tranſtulerint, utrum Ebraicam exacte callentibus, an prorſus eius ignaris, an vero mediocrem eius notitiam aſſequutis. De primis non eſt probabile. Quid enim neceſſe Ebraice intelligentibus obtrudere ſcripturam Græce traductam? De ſecundis ne id perſuaderi quidem cuiquam poteſt. Ea quippe verſio quæ retineat idiotiſmos Syriacos & Ebraicos, non videtur ullo modo apta hominibus Græce tantum intelligentibus, non etiam Ebraice, nec Syriace. Reſtat ergo, ut in gratiam tertiorum qui mediocrem adepti erant Ebraicæ linguæ intelligentiam ea verſio procurata ſit. Sed quid ſi iidem mediocrem admodum nec maiorem Græcanicæ quam Ebraicæ cognitionem habuerunt, aut etiam prorſus nullā? Nihil eis profutura fuit eiuſmodi tranſlatio. Solis igitur utilis fuerit Ebraice perquam mediocriter, Græce vero perfectius gnaris. Atque hæc ſententia eſt noſtri Helleniſticarii, qui etiam cenſet, hos proprie Helleniſtas eſſe dicendos, & fuiſſe dictos,

ctos, qui Græce melius quam Ebraice ſcirent. Atqui his ea verſio data fuit, non ab his. Nam illos qui ediderunt, in pari gradu perfectionis linguam calluiſſe Ebraicam & Græcanicam oportet. Hi etiam linguæ Helleniſticæ auctores proprie habendi, in quam Biblia ex Ebræo tranſtulerunt. Iſti ergo proprie Helleniſtarum. Sic duo nobis inde exurgent genera Helleniſtarum, qui perfectam habebant Græcæ linguæ notitiam, & qui mediocrem, maiorem tamen quam Ebraicæ. Sic nulla certa ſtataque erit lingua Helleniſtica, nulla eius ſingularia, nullæ proprietates quibus à lingua Græca diſcernatur. Si enim perfecte Græcam callentes erunt Helleniſtæ, horum Helleniſtica non diſcrepabit à vera atque exacta Ἑλληνικῇ. Cum enim Helleniſticarius ſtatuat, originē cauſamque Helleniſticæ linguæ à mediocri cognitione utriuſque dialecti, Ebraicæ & Græcanicæ, petendam eſſe, ſequetur inde, non eſſe dicendos Helleniſtas qui exacte Græcam linguam noverant. Quod enim reliquerunt Ebraiſmos in ſua verſione, non id feciſſe per imperitiam Græcæ linguæ exiſtimandi ſunt, cum idiotiſmos Ebraicos idiotiſmis Græcanicis poſſent reddere, ſed quod ita maluerunt. Nulla ergo Helleniſtica lingua

ex

ex Græcis vocabulis & Ebraicis loquutionibus mixta, quia talis ſtylus non ex certa dialecto pendet, ſed ex interpretum iudicio, qui cum aliter poſſent, ita voluerunt vertere. Nunc cauſas expendamus, propter quas cenſet Helleniſticarius, in Græcam linguam tranſlatas fuiſſe à Iudæis Ebraicas loquutiones. *Prima eſt*, inquit, *quia Græca lingua erat communiſſima, & per totũ fere orbem terrarum diſperſa.* Hoc illi concedamus, ne neceſſe habeat, non neceſſaria teſtimonia cónquirere. Non latius diffuſos habuit tum fines lingua Græca quam ab aliquot retro ſæculis Arabica. Eadem cauſa debet ſemper eumdem effectum producere, in iiſdem præcipue perſonis ac rebus. Cur igitur Iudæi, poſtquam lingua Arabica tam late ſpargi cœpit, ut meliores potioreſque orbis partes occuparit, non etiam Biblia in eam linguam converterunt? Atqui vertiſſe conſtat. Sed cur nòn & in Synagogis ſuis qui Arabice tantum intelligebant, ea verſione uſi ſunt? Præterea ſi ideo in Græcam linguam Iudæi ſcripturas converterunt quia erat illa lingua in uſu apud omnes fere gentes, cur non ita verſionem eam adornarunt, ut ab omnibus qui Græca lingua uterentur, intelligi poſſet? Cui Græco aut Grçce intelligenti, Ἕλλησι aut Ἑλληνίζουσι, futura

tura uſui fuit verſio ſcatens Ebraiſmis & Syriaſmis, quos non magis inter legendum aſſequerentur quam ſi Ebraicis eſſet concepta vocabulis? Qui Gallus non aſſuevit Germanico idiotiſmo, & audit Germanum ſecum ſic loquentem, *Dominus meus hoc fecit, Dominus meus hoc dixit*, quamvis Gallice loquatur, haud magis ad ſe ſermonem illum dirigi aut de ſe dici ſentit, quam ſi Germanice loqueretur qui ſecum verba commutat. Si propter paſſivum ubique gentium Græcæ linguæ uſum ea inſtituta tum fuiſſet tranſlatio Bibliorum, auctores eius omni ex parte Græciſſantem potius edituri fuiſſe videntur, quam ex potiſſima Ebraïzantem. Metaphoras audaciores apud poëtas vix doctiores aſſequuntur, multo difficilius Ebraice neſciens, Græce tantum ſciens, orationem perciperet totam ex Ebraicis &Syriacis phraſibus contextam. Secundam adfert cauſam, *quia erat etiam notior populis illis orientalibus, inter quos vivebant & morabantur*. Sane ſi vivebant, etiam morabantur. Lingua ergo Græca notior erat populis orientalibus. Quid? an quam ſua ſibi, ac vernacula? Quis vero hoc credat? ut ſcilicet Armenius Græca melius noverit quam Armeniaca? Ita de Perſis, de Arabibus & aliis. Nemo tam idoneus auctor hoc

hoc mihi perſuadere poſtulet. Sed nec Iudæus in Arabia natus, & Arabice doctus, minus peritus cenſendus Arabice fuiſſe quam Græca. Ponamus ex æquo, gnarum in Oriente genitum dialecti eius loci in quo natus eſt, & Græcanicæ; putabimuſne, Iudæum indigenam, vernaculæ, & Græcæ, id eſt, externæ, pariter peritum, maluiſſe Biblia Græce verſa audire in Synagoga, quam in eam linguam tranſlata quæ ipſi à nutrice infanti tradita eſt? Syrus Iudæus præferet Græcanicam tranſlationem Syriacæ? Sclavonica lingua hodie in Oriente tam frequentis ac celebris uſus eſt, quam olim fuit Græca. An Iudæi ſunt hoc tempore in illis locis, ubi Sclavonica frequentatur, qui Sclavonice verſas ſcripturas in Synagogis ſuis audire legentem malint quam Ebraice? *Quia notior*, inquit, *erat Græca populis illis orientalibus*. At tu non de Græca verſione loqueris, ſed de Helleniſtica. Nihil ne differre putas has dialectos? Immo vel plurimum. Et hoc inter te & Salmaſium controvertitur. Armenium ne credis, Græcæ linguæ vel peritiſſimum, poſſe Biblia verſa intelligere in eam linguam quam Helleniſticam vocas? Ebraice doctus ſit oportet cui ea intelligibilis ſit cum ſuis Ebraiſmis. Quis Arabs hodiernus verſionem Pentateuchi
Arabice

Arabice factam, ſed de verbo ad verbum expreſſam, & Ebraiſmos omnes retinentẽ, percipit? Nec melius Perſæ ſentiunt de Perſica Tauvoſii interpretatione quæ Ebraiſmos ipſos Perſice reddidit. Sibi eam obſcuram eſſe fatentur, & verba tantum ſe agnoſcere Perſica, nihil præterea Perſici habere. Quam ridiculum eſt quod hic ait Helleniſticarius pater & patronus, ideo Helleniſtice verſa eſſe Biblia, quia notiſſima fuerit in Orienta lingua Græca. Sic ego dixerim, ideo Vaſconice tranſlatam eſſe ſcripturam, quia lingua Gallica in toto Franciæ regno ſit uſitata. Dicat mihi Helleniſticæ argutulus defenſor; Si Biblia à Iudęis in quam maxime purum & ſincerum Græcum ſermonem tranſlata fuiſſent, an non ea cauſa, quæ ipſi ſecunda eſt, melius eſſet valitura de lingua Græca notiore orientalibus populis inter quos Iudæi morabantur? Sic optime res illi ac ratio procederet. Græce verſa eſt à Iudæis ſcriptura. Quare? Quia Græca lingua notior in Oriente. Hic etiam prima cauſa ſuum locũ tutaretur, de linguæ Græcæ uſu ubique gentium tunc promiſcuo. Nunc de Helleniſtica ad Græcam argumentatur. Aut patiatur, utramque eamdem eſſe, aut concedat, non valere argumentum. Notior lingua Græca populis

pulis

pulis orientalibus, Armeniis nimirum, quam ipſa Armeniaca; Perſis quam Perſica; Arabibus quam Arabica; Indis, quam Indica. In illis omnibus locis vixere tum Iudæi. Et Babylone quidem aliquot millia ſuo tempore fuiſſe narrat Ioſephus. Perſica vel Parthica lingua in ea urbe tum vigebat. Babylonis incolæ, ſed & vernæ, Iudæi, melius ſcilicet Græce noverant quã Babylonice. An propter eos Helleniſticam dices Bibliorum verſionem tum fuiſſe curatam? *Multi*, inquit, *Iudæi in terra Babylonia manſerant, plurimi etiam exulabant in Aegypto. Alii vicinas oras incolebant.* Propter iſtos igitur omnes ea tranſlatio Helleniſtica conſulto concinnata eſt. *In omnibus enim illis locis uſus fuit linguæ Græcæ.* Sane & Aegyptiacæ in Aegypto. Nam Valentinus ex Proſopite Nomo Alexandriam veniſſe Epiphanio dicitur, ut Græcam litteraturam addiſceret. Quia ſi forte in ſuperiore Aegypto rarus aut nullus uſus fuit linguæ Græcæ. Inde illa omnia Aeonum Valentinianorum nomina Aegyptiaca fuiſſe liquet, quæ pro Ebraicis interpretantur viri magni. In Babylonia etiam terra, Babylonicæ linguæ ſive Perſicæ aut Medicæ, eo tempore maior, ut videtur, uſura fuit quam Græcæ. Cur non igitur potius Babylonici

Iudæi ſcripturas legere Babylonice præoptarant quam Græcanice ? De Aegyptiis idem dicas. *Multi*, inquit, *in Babylonia manſerant*. An qui manſerunt Babylone, Græcæ linguæ ſtudium potius excoluerunt quã Babylonicæ, id eſt, Chaldaicæ. Qua lingua tunc temporis utebantur Babylonis cives. Eam linguam inde reportarunt in Patriam Iudæi poſtquam reduces ſunt facti. Et tu putabis, qui remanſerunt in ea terra, ibi ſe magis exercuiſſe in linguæ Græcæ ſtudio, quam in vernaculæ & Chaldaicæ? En Helleniſticarie, quo tibi mens ? Dilecta iſta tua filia præ amore quo eam pius pater deperis, te plane excæcavit. Linguam Græcam iam Danielis tempore uſitatam quoque inter Chaldæos ex parte fuiſſe, probare ſatagit ex tribus vocibus Græcis, quæ comparent in edicto Nabucodnoſori, Aramiæ promulgato, apud Danielem cap. XIII. Nec dubium, quin tres illæ voces ex Græcis, *συμφωνία*, *ψαλτήριον*, & *Κιθάρα* ſumptæ ſint. Sed ſic ergo poſſem evincere, apud Græcos uſu crebrum fuiſſe ſermonem Perſicum, propter longe plures voces quæ è Perſidê in Græciam tranſportatæ ſunt, ut *Γαυσάπης*, *Καυνάκης*, *Σάραπις*, *Κύπασσις*, *Κυρβασία*, *Τιάρα*. Quæ nomina veſtium, ſimul cum re ipſa in Græciam traducta ſunt. Multa

etiam

etiam vocabula unguentorum è Syria, & Aromatum ex India, Græciæ donata ſunt, nec propterea dicendum, apud Græcos Syriacam aut Indicam. linguam fuiſſe communis ac frequentis uſus. Res quoque aliquas ſuas Perſidi dedit Græcia cum nominibus Chaldæis Perſiſque acceptas. Studium Muſicum ſemper excoluere Græci tam in inſtrumentis quam in vocibus. Organorum quoque inventores Muſicorum perhibentur. Inde Apollo cum Muſis Orpheuſque & Thamyris celeberrimi cantores ex ipſis. Inde tragœdia, comœdia, & quidquid ad Muſicam pertinet, originem duxit. Hinc & illæ voces à Græcia ad Euphratem tranſlatæ cum ipſis rebus, סומפוניה *Sumphonia*, פסנטרין *Peſanterin*, קתרוס *Cathros*, ex κίθαρος, ψαλτήριον, & συμφωνία. Comœdia quoque & Tragœdia Græca in Aula Parthorum locum habuit, proceresque ipſorum oblectavit, ut ex his conſtat quæ referuntur apud Plutarchum in vita Craſſi. Cum enim caput huius imperatoris, ex acie qua victi ſunt Romani, reportatum eſſet, commodum ſuper cœnam Regis Tragœdia Euripidis Pentheus Græce agebatur, & tum forte incidit, ut ῥῆσις ex illa fabula recitaretur,

Φέρομεν ἐξ ὄρεος ἕλικα νεότομον,
Ἐπὶ μέλαθρα μακαρίαν θήραν.

Iaſon Trallianus Tragœdiarum actor in eo convivio Perſico ſive Parthico Pentheum Euripidis Tragœdiam canebat. Et quis dubitat, Reges Arſacidas, & Megiſtanas Parthorum, tum Græce ſciſſe? Succeſſerant in locum Græcorum & Macedonum, qui maximas urbes condiderant in illis regionibus, quæ etiam illo tempore Græcis incolis erant refertæ. Præterea cum Græca natio illo ævo comœda fuerit, ut eſt hodie Italica; non mirum eſt, ſi acroamata Græca in Aula Parthica & Armeniaca ludum ſæpe præbuerunt Parthis & Armeniis ſatrapis & regulis. Quod & Plutarchus in vita Craſſi memorat his verbis, parum intellectis ab interpretibus, quamvis doctiſſimis viris: Ἑστιάσεις τε καὶ πότοι δι' ἀλλήλων ἦσαν αὐτοῖς, καὶ πολλὰ παρεισήγετο τῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἀκουσμάτων. *Convivia & comeſſationes inter ſe mutitabant, in quibus plurima introducebantur ex Græcia acroamata.* Qui ſciet, quid ſit *acroama*, & quo ſenſu accipiatur Græcis & Latinis, non ignorabit quid ſit ἄκουσμα. Nam ἀκροάματα, & ἀκούσματα, eadem. Delectabantur eo tempore Parthi Græculis comœdis, & tragœdis, ut nunc nos Galli Italis, qui in hoc genere apud Europæos reſpon-

reſpondent antiquis Græculis. Nemo hodie inter Gallos elegantior quin Italicam linguam calleat, ut nec olim inter Parthos ac Perſas quin Græcam teneret. Sed quis ex iſtis arguat, in tota Perſide tunc familiarem & communem fuiſſe ſermonem Græcum? Comœdi, ut dixi, Italici, ut iſta nunc comœda natio eſt, ſicut olim Græcula, in Hiſpania, Gallia, Belgio etiam, Germania & Anglia, vulgo ſpectantur & ſcenam ſuam inſtruunt. Multi in Gallia, ut dictum eſt, Italice ſciunt, item in illis provinciis ante memoratis. Etiam non pauci ſunt Galli qui Hiſpanice intelligant, nec pauci Hiſpani qui Gallice. Non ex paucorum tamen ſcientia colligetur, communem & promiſcuam in Gallia eſſe Hiſpanicam linguam, aut in Hiſpania Gallicam. Vienna hodie in aula Romanorũ Imperatoris Germanici lingua Italica in uſu eſt frequenti, multumque viget. Quis inde concluderet, per totam Germaniam communiſſimam eſſe illam linguam? In aula Parthorum Craſſi temporibus Græca lingua à proceribus non ignorabatur: an ex eo liquebit, in toto Oriente & imperio Parthico fuiſſe familiarem? Quis mihi tantus auctor perſuadebit, vel in celeberrima ac prima illius Regni urbe, Seleucia puta, vel Cteſiphon-
 te, na-

te , natum Iudæum gnariorem vulgo extitiſſe linguæ Græcæ quam Parthicæ? Scio, vel ab antiquis temporibus, etiam ſub Dariis, propter commercia pacis & belli inter Perſas & Græcos, ſemper linguę Gręcæ apud Perſas honorem habitum, & uſum eius freqentatum præcipue penes proceres Regni. Aſia minor quæ ſub eorum erat imperio Græcam linguam in varias dialectos ſparſam uſurpabat. Qui ad eam regendam mittebantur Satrapæ , eam addiſcebant, ut veriſimile eſt, vel priuſquam eo veniſſent , vel ex uſu & aſſuetudine poſtquã diu in ea provincia verſati fuiſſent. Cuius rei poſſem aliquot exempla proferre, ſi quæſtionis deciſio inde penderet. Non tamen tam communiter ne in Aula quidem Perſica Græcam linguam floruiſſe, vel unus Themiſtocles potis eſt docere. Themiſtocles cum ad Perſarum regem confugiſſet, & nollet per interpretem cum eo agere, & colloqui, coactus eſt operam dare linguæ Perſicę, annumque integrum ei ſtudio dedit. Sed quid gravamur Helleniſtico eruditorum principi concedere, communiſſimam notiſſimamq; populis orientalibus, inter quos vivebant Iudæi, fuiſſe? Plus etiam illi demus quam vult, & quam ſperare audet. In Oriente toto nimirum

æque

æque communis & promiſcui uſus fuiſſe linguam Græcam ut in media Græcia, quid hoc ad Helleniſticam fundandam & conſtituendam faciet? Helleniſtica, ut eam nobis adſtruunt, Dialectus eſt propria ac peculiaris eorum quos Helleniſtas vocitant. Eo nomine diverſa eſt à reliquis Dialectis, quarum uſus fuit in vetere Græcia. Præter quinque notiſſimas & Grammaticis notatas multæ aliæ fuere non ita celebres. Aliter Græce Cilices loquebantur, aliter Lycii, aliter Pamphyli, aliter Cyprii, aliter Cretenſes, aliter Lacones, aliter Cyrenenſes, quam aut Aeoles aut Dores, aut Iones. Alia etiam loquela fuit Megarenſium quam vicinorum Atticorum. Eretrienſes etiam ſuam linguam habuere. Nulla denique civitas in Græcia aut Aſia minore fuit quin propriam habuerit dialectum, hoc eſt, loquendi modum. Inter has tot ac tam diverſas Dialectos quis Helleniſticæ locus? Ubi gens Helleniſtarum? Si Iudæi fuere, multos ex his certum eſt in Diaſpora populorum Græciæ vixiſſe. Qui ex his inter Græcos habitarunt, an uniformem Dialectum Helleniſticam retinuere, puramque conſervarunt à Dialecti contagione gentis eius cuius regionem incolebant? In Cilicia nati Iudæi, ut Paulus, an ſic

loquebantur, & cum pari ſermonis Græci puritate, ut qui in Attica verſabantur? Atqui Ciliciſmos in Paulo notarunt veteres patres, ut in verbo περπερεύεσθαι, quo utitur, proprio Cilicum Dialecti. In Syria & Aegypto longe plurimos ex his Helleniſtis Iudæis, ſi ulli fuere, vitam agitaſſe, certo certius eſt. Atqui Dialectus, qua Græci Syri & Alexandrini utebantur, diverſa ab aliis Græciæ Dialectis, eamque veteres Critici ſæpe nominatim improbant, damnantque etiam in ſcriptis idoneorum auctorum. Huius Dialecti proprium, μενοῦνγε in principio loquutionum ponere, quam Græci alii interſerunt. Εὐσχήμων pro divite ponunt, quod aliud ſignificat Græcis. Παρεμβολὴ id vocant quod Græce eſt ςρατόπεδον. Ἀδολεσχεῖν pro Exercere & meditari; quod Atticis & Græcis communiter garrire eſt, & blatterare. Multa alia habent Dialecti ſuæ idiomata, Criticis antiquis notata ac reprehenſa, ut vitioſa, & à puritate Græci ſermonis, hoc eſt, ἑλληνισμοῦ aliena, & ἔκφυλα. An igitur dicendum, Helleniſticam Syrorum & Alexandrinorum Helleniſtarum, eamdem fuiſſe cum Helleniſtica Cilicum, Cretenſium, Atticorum, Cypriorum, Laconum, Siculorum, & Aſiaticorum omnium Iudæorum qui Helleniſtice loquebantur?

Sece-

Secedamus nunc in Orientis partes illas,in quibus nativa non fuit Græca ſermocinatio, ſed extranea, & διδακτή. An earum regionum omniũ Iudæi Helleniſtæ eamdem uſitatam habuerunt Helleniſticam, cum Græcis naturalibus Iudæis, hoc eſt,in Græcia natis, & cum aliarum provinciarum Orientalium,quæ naturaliter Græce non loquuntur, Helleniſtis? Exempli gratia, in Armenia genitus Iudæus ſi Græcam linguam didicerit, an ſimilem Helleniſticam effabitur ei qui in Perſide natus educatuſque fuerit, & in medio Græciæ? Indus Iudæus non aliam Helleniſticam proloquetur quam Aethiops, nec iſte quam Tartaricus, aut Sarmaticus. Nam & Diaſpora etiam ſe extendit in illas regiones, & Sericam quoque pervaſit. Nunc videamus, quod ſit idioma proprium linguæ vel Dialecti Helleniſticæ, quo proprie & ſpecifice diſcerni ac diſcriminari meretur ab aliis GrçciçDialectis. Sic enim facile fuerit ſcire, an per omnes quas commemoravimus gentes, & alias plures, quas non nominavimus, eamdem notam, eumdem Characterem, & eamdem ideam prætulerit Helleniſtica. Syriaſmi & Ebraiſmi interſtincti Græcæ orationi eam Dialectum conſtituunt, & ab aliis diverſam faciunt. Proprie ergo talis

 Dia-

Dialectus, ſi Dialectus eſt, conveniet Iudæo Ebraice gnaro & Græce. Si enim Ebraice aut Syriace neſciverit, quomodo Ebraiſmos aut Syriaſmos inter loquendum aut ſcribendum interſeret? Non gentis itaque alicuius certa hæc Dialectus fuerit, ſed omnium Iudæorũ Ebraice pariter & Græce loquentiũ, inter gentes tam Orientales quã Occidentales diſperſorũ. Duas has linquas noverit oportet qui Helleniſticam fari volet, Græcam & Ebraicam. Qui altera carebit, Helleniſticam nullam dabit. Romanus Iudæus Græce ignarus non erit Helleniſta. Armenius pariter Iudæus, quamvis Ebraice ſciat, ſi Græce neſciat, ab Helleniſtica alienus. Idem de Perſa Iudæo, Arabe, Aethiope, & cuiuſlibet alterius gentis pronuntiandum fuerit. At Helleniſta hic, qualem definiunt, Græce mixtim & Ebraice loquens, hoc eſt, partim Ἑλλωνίζων, partim Ἑβραΐζων, non erit intelligendus Græcis pure Ἑλλωνίζουσι, ſed Græciſſantibus tantũ, non etiam Ebraizantibus. Paucorum igitur, immo pauciſſimorum hæc fuerit dialectus, nempe eorum qui mediocriter Græce & Ebraice periti fuerint. In utraque enim lingua excellenter docti, cum Græcanice ſcribent, aut loquentur, impermixta ea puraque loquela utentur, & Ebraiſmos nullos

nullos admiſcebunt. Quid enim opus Iudæo Græca eximie docto, cum Græcos alloquitur, miſcere Ebraica Græcis, quæ ille, qui cum loquitur, non ſit intellecturus? Rurſus ſi hic adprime Græcę linguæ intelligens Iudæus, ſermocinandum habeat cum altero Iudæo ſermonis Græci mediocriter perito, ne quidem tunc loquutionem ſuam Ebraiſmis variare neceſſe habebit. Ebraice enim eloquetur quę ille Græce non intelligit, & ſi quid Ebraice parum aſſequatur, id enuntiabit Græce. Sic intra paucos redigetur hæc Helleniſtica, & rariſſimi uſus fuiſſe facile eſt oſtendere, ſi alicuius fuit. Quod autem quidam ex Helleniſticariis ſtatuunt, tam latos fines habuiſſe hanc linguam, ut vulgo omnes qui in Oriente Græce loqui vellent, iſtam dialectum uſurparint, res videtur delirio ſimillima. Armenius ſcilicet qui Græce didicerit & Ebraice ignarus ſit, utetur Helleniſtica, Ebraiſmos redolente, aut intelliget ea colluvia loquelæ utentem? Si perfecte linguam Græcam edoctus ſit hic Armenius, Græce loqui volens, id optime pureque faciet, & nullos admiſcebit Armeniaſmos. Ita Perſa, ita Parthus, ita Medus, & Aethiops, perfectam & exactam Græcæ linguæ notitiam conſequuti, eodem Græciſmo omnes utentur, ſincero, & exacto.

actto. Cum Græcis ipſis eo ſermone poterunt contendere, & ab omnibus Græcis facillime poterunt intelligi. Sic Phavorinus Gallus, ſic Aelianus Romanus, Ἑλληνίζειν didicerunt, ut nulli Græci eſſent Ἑλληνικώτεροι. Sic Ioſephus & Philo Iudæi non minus in Ἑλληνισμῷ perfecti fuerunt, quam quilibet Græciæ indigena. Immo & multos indigenas ſuperarunt. Sin autem Armenius ille, Perſa ille, Aethiops ille, Syrus ille, Romanus, Gallus, mediocrem Græciſmi cognitionem perceperint, ſi exprimere ſenſa animi ex lingua, quam minus perfecte norunt, conabuntur, tum deficiente copia verborum & phraſium ex ea lingua quam non bene ſciunt, ſupplebunt ex ea quam melius tenent. Ita Armenius Græcę eloquutioni admiſcebit gentis ſuæ idiomata, Perſa Græco ſermoni interſeret Perſicas loquutiones. Syrus Syriaſmos interponet. Ebræus Ebraiſmis temperabit Græca, cum inopia omnia Græce enuntiandi ſe laborare ſenſerit. Ita alia futura eſt Helleniſtica Armenii, alia Aethiopis, alia Arabis, alia Romani, alia Syri & Ebræi. Ubi igitur illa Helleniſtica Ebraiſmis & Syriaſmis variegata, per totum Orientem latiſſimo uſu diffuſa, & quam omnes Orientales Græce loqui ſtudentes uſurparunt? Pro tertia cau-

ſa

ſa allegat Nobiliſſimorum doctiſſimus, cur Iudæi in Græcam linguam tranſtulerint loquutiones Ebrææ, ſibi olim vernaculæ. Quod mihi admodum facetum viſum eſt, nolo enim ridiculum dicere. *Plauſibilis*, inquit, *admodũ eſt illuſtriſſimi Scaligeri ſententia, in quadam ad Seguinum Epiſtola, Alexandrinos Iudæos, reliquoſque qui in Aegypto vivebant, à Ptolemæis coactos fuiſſe contractus ſuos Græce concipere, omniaque negotia ſua eius linguæ adminiculo peragere.* Nihil veto ſane, quin ſit plauſibilis hæc ſententia, quam & veram eſſe ultro confiteor. Sed quid hoc ad Helleniſticam? Multo minus inter cauſas ſit referenda, cur Iudæi Biblia in Græcum ſermonem convertere voluerint. Si ex cauſis pluribus quas habuerunt verſionis illius parandæ hæc una fuit, ſolos Alexandrinos Iudæos reſpicit, non reliquos ubique terrarum inter gentes diſperſos. Si Ptolemæi Alexandrinos Iudæos iuſſere contractus ſuos Græce concipere, numquid & ſcripturam ſanctam Græce tranſlatam in Synagogis ſuis legere eos voluerunt? Hoc non dixit Scaliger, nec verum eſt. Quid igitur pro Helleniſtica facit illud Edictum Ptolemæorum? Magna ſane cum ratione illi reges Aegyptii, cum Alexandria Iudæis eſſet differtiſſima, caverunt, ne alia lingua quam Græ-

Græca, quæ in ea urbe communiſſima fuit, Iudæi contractus ſuos & alia negotia peragerent. Cum enim ſupra cæteras gentes callidi & verſuti ſint in contrahendo & negotiando, noluit eos alio ſermone ſua ζυναλλάγματα concipere quam qui vulgo ab omnibus in ea magna civitate intelligeretur, ut ſic eis prçcideret anſam decipiendi & circumveniendi illos cum quibus contrahebant, per clauſulas verborum ambiguorum, & lingua peregrina minuſque civibus ſuis cognita conceptas. Nunc vide quam recta ſit hæc ratiocinatio ſummi virorum, & ſæculi ſui phœnicis. Iudæi ideo verterunt in linguam Græcam ſcripturas Ebraicas, quia Ptolemæi ſanxerunt, ut Iudæi Alexandrini, & reliqui in Aegypto viventes, contractus ſuos Græce conciperent. Etiamſi non id edicto ſanxiſſent Ptolemæi, an aliter cum Græcis contrahentes illius loci Iudæi res ſuas & negotia explicare potuerunt quam Græce? Græce cum Græcis contrahebant, & negotiationes ſuas expediebant Iudæi: ergo & in Synagoga Græce legere debuerunt, cui nulli Græci intererant? Præterea Ebraice vetuerunt Iudæos contrahere Ptolemæi. Ergo & Helleniſtice. Nam in Helleniſtica cum ſint Ebraiſmi, haud multum abeſt, ab Ebraica,

braica, nec erat Græcis intellecta. Probabilem tamen hanc conjecturam de cauſa tertia affirmare audet Helleniſticæ magnus pater, ſed quia forte aliquis ita factus, ut Salmaſius, non eam recepturus eſt, iubet nos contentos eſſe duabus prioribus, quas præſtat abunde ſatisfacturas candidis cenſoribus. Non me pœniteat eſſe ex nigris. Nam candidos iſtos nihil moror, ſi tam ſtulti futuri ſunt, ut recipiant rationes tam nihili. Non magis duæ priores mihi ſatisfaciunt, quam hæc tertia omnium ineptiſſima. *Cum ergo*, inquit, *obreperet oblivio exulibus Iudæis patrii idiomatis, Græcam linguam, ut communiorem & inter pleraſque gentes uſitatam, non tantum excolere, ſed etiam familiariſſimam ſibi reddere inſtituerunt.* De lingua Græca hæc dicuntur, at de Helleniſtica quæſtio vertitur. *Iudæi exules Græcam linguam, ut communiorem & inter pleraſque gentes uſitatam excolere inſtituerunt.* Quid? An communior lingua Græca Iudæis in Babylonia fuit quam Babylonica? Syria quam Syriaca? Arabia quam Arabica? Armenia quam Armeniaca? Parthia quam Parthica? Si de Hellenica, vel Græca agitur, fateor fuiſſe maximi uſus tunc temporis inter pleraſque gentes. Si de Helleniſtica ſermo ſit, pauciſſimis fuerit uſitata, & nullius ferme utilita-

litatis, Græcis propter Ebraicas phraſes parum intelligenda, Ebræis Græce neſcientibus propter Græca verba, ut & Græce & Ebraice utcunq; intelligentibus, inutilis, & ſuperflua. Præterea Iudæis exulibus & patrii idiomatis oblitis propter idiotiſmos Ebraicos etiam incognita. Qui enim potuere, quibus obrepſerat oblivio patriæ linguę, talem linguam comminiſci quę plena eſſet idiotiſmorum Ebraicorum? *In quam cum poſtea etiam Biblia traducta eſſent, ſive Ptolemæi Philadelphi auſpiciis, ſive ab iis qui præſentis neceſſitatis rationem habebant, ut alii cum illuſtriſſimo Scaligero exiſtimant, nexu mancipioque ſuam fecerunt, ac peculiarem* Ἑλληνιστῶν *ſectam.* Quæ ſit iſta Helleniſtarum ſecta, prorſus ignoro. Mihi quippe nova eſt, atque incognita. Falſum & illud, Scaligerum exiſtimaſſe, tranſlata Græce Biblia ab his eſſe qui præſentis neceſſitatis rationem habebant, id eſt, qui verſionem eam inſtituerunt, propter ignorantiam inter Iudæos Ebraici ſermonis, ut nimirum Græce ſcriptura iis legeretur, qui Ebraice non intelligebant. Hæc ſententia eſt virorum in Helleniſticis ſummi, ter & amplius in hoc opere repetita, Iudæos nempe, quia moleſtum erat Ebraica neſcientibus Græce interpretari, ſubſtituiſſe in locum Ebraico-

rum

rum Græca Biblia, quia melius intelligebant, ut dicitur infra Sect. IV. pag. XXII. Debuerunt ergo Syriaca ſubſtituere pro Ebraicis, Syriace tantum intelligentibus, & Arabica Arabice gnaris, Perſicaque item Perſice ſcientibus. Quot putamus enim Iudæos Syriace, Perſice, Arabice, ſciſſe, qui Græce prorſus ignari eſſent? Et cum lingua Græca ab aliquot retro ſæculis perierit, cur non pro Bibliis Græcis ſubrogarunt converſa in alias linguas communiter uſitatas, poſtquam intelligi Græca deſierunt? *In quam*, id eſt, Græcam, inquit, *cum poſtea traducta eſſent Biblia*. At in Helleniſticam à Græca diſtinctam tranſlata volunt fuiſſe Biblia, non in Græcam. Cur igitur nunc, *in Græcam traducta* dicunt? *Nexu mancipioque ſuam fecerunt, ac conſtituerunt peculiarem* Ἑλλωιςῶν *ſectam*. Poſt traducta ergo in Græcum Biblia, exorta demum eſt iſta Helleniſtarum ſecta, & Helleniſticæ linguę dialectus? Primi itaque illius verſionis Græcę editores, auctores etiam ac fundatores Helleniſticę linguę? Qua pote hoc fieri, ut Gręca lingua, in quam verſa ferunt Biblia, Helleniſticam linguam plane à Græca diverſam produxerit? Ut Græce & Ebraice ad perfectionem uſque docti, quales fuere à quibus in Græcum tralata eſt ſcriptura ſancta,

 aucto-

auctores extiterunt ſectæ Helleniſtarum, Ebraice pariter & Græce non ita peritorum, ſaltem Græce perfectius quam Ebraice intelligentium? Poſt tot miracula, quæ ridemus tam miſeris modis edita, ſic ſubiicit princeps eruditorum ſui ſeculi: *Ne quis ergo exiſtimet,* Ἑλληνιστὰς *novam eſſe gentem apud Helleniſticæ linguæ patronos.* Sane iam vetuſtam eſſe nunquam credidi , ſed neque gentem eſſe ſcivi. Hoc quippe argumento Helleniſticam, cum Salmaſio dialectum negarim, quia nulla gens reperitur hoc nomine, & nulla dialectus fingi poteſt ſine gente. Nunc ab his docemur, non ſolum gentem fuiſſe, ſed etiam antiquam. Atqui paulo ante *ſectam* appellabant, non *gentem.* Nuſquam autem mihi lectum eſt, ſectarum proprias fuiſſe dialectos. Dogmatibus ſectæ differunt, non linguis. Hæc ſecta non dogmate differt à reliquis Iudæis, ſed lingua. Sic multas nobis condet Iudæorum ſectas. Nam Germanice ſcientes, ſectam ædificabunt Germaniſtarum Iudæorum, Romane Romaniſtarum, Perſice Perſiſtarum, ut Ἑλληνισταὶ docti Iudæi *Helleniſtarum.* Hac obiectione Salmaſius in præfatione, iam eluſerat opinionem Nobiliſſimi Helleniſtarum patroni de Helleniſtis Iudæis, qui non viderentur maiori iure ſic appellandi, quam

Ῥω-

Ρ'ωμαϊςαὶ qui Latine ſcirent, aut Περσιςαὶ qui Perſice. Reſpondet hoc loco Triſmegiſtus Heinſius, *Helleniſtas vocari non tantum quia Græce perfectius quam Ebraice ſciebant, ſed maxime quia Græca lingua, redolente Ebraico-Syriaſmos, in Synagogis ſuis utebantur.* Hoc iam à ſe probatum fuiſſe ait in prima Sectione. Mihi nec probum hoc videtur, nec approbatur. Et ſi in eo ſtatu eſſem, ut plus ridendum haberem quam dolendum, buccas utique diſſuerem cachinnando. Quid hic audio, ô Helleniſticarie? Helleniſtæ non vocantur ab intellectu linguæ Græcę, ſed quod utebantur lingua redolente Ebraiſmos & Syriaſmos? Ε'λλίωιςὶ eos legiſſe Biblia in Synagogis, ſupra in prima Sectione dicebas. Ergo Ε'λληνιςὶ, non eſt Græce, ſed lingua quæ redolet Ebraiſmos & Syriaſmos? Ergo Ε'λλίωίζειν non erit Græce loqui, ſed lingua redolente Ebraico-Syriaſmos, vel Syriaco-Ebraiſmos? Cum inter virtutes Græcę orationis ponunt Rhetores Græci τὸ Ε'λλίωισμὸν, is Ε'λλίωισμὸς debet accipi de Syriaco-Ebraiſmo? Confirmat hæc exemplo valde idoneo & appoſito. *Sic,* inquit, *hodie non iniuria quis Pontificios, qui in ſacris ſuis per totam Pontificis ditionem Latina lingua utuntur, cui plurima ſunt admixta, quæ pro ſuis nō agnoſcerent antiqui Latinæ linguæ au-*

 *ctores,*

*ctores, Latiniſtas vocaverit: quamvis alii ex iis Galli, alii Hiſpani, alii Itali aut Belgæ ſint.* Non iniuria, inquis, ita quis vocaverit. Omitte iſta: dic potius, quis ita vocaverit. Tum ego tibi dixero, nulla ratione ſic poſſe vocari. Nec iniuria quis inſcitum, & Græce Latineque pariter imperitum, vocaverit illum, qui ſic uſurparet hoc vocabulum *Latiniſta*. Nec Græcus ſermo nec Latinus, hanc ſignificationem nominis ita facti patitur, ut malum Latinitatis auctorem notet, & qui Latinis alia admiſceat quę pro Latinis non ſint agnoſcenda. Iuxta hanc notionem, *Atticiſta* Græce dictus eſſet non is qui Attice loquentem æmulabatur, imitarique eorum loquutionem, & exprimere ſtudebat, ſed qui Atticę orationi Doriſmos, Ioniſmos, Aeoliſmos, immo etiam ſi forte Ebraico-Syriaſmos, & Latiniſmos inſereret. Hac ratione etiam Ἑλληνιστὴς cum pro religionis ſectatore ponitur, non is foret dicendus qui Gręcorum ſuperſtitionem amplexus eſt, ſed ille etiam qui ex variis religionibus cinnum faceret, componeretque ex diverſis θρησκειῶν cęrimoniis peculiarem aliquem numinis cultum, qui aliquid haberet ex Ἑλληνισμῷ, aliquid ex Ἰουδαϊσμῷ, aliquid etiam Muhammediſmo. Tale propoſitum habent qui hodie conantur religiones concilia-

ciliare, & ex Calviniſmo & Papiſmo unam facere. Sed cur nobis hic allegas pontificios, in ſacris ſuis Latina lingua utentes vix Latina, quos ideo poſſe *Latiniſtas* appellari hariolaris? Nonne potius debuiſti Latinam Bibliorum verſionem citare, ut eam nobis probares *Latiniſticam* eſſe vocandam, ut Helleniſtica dicebatur illa τῶν LXXII interpretum? Quid enim ſimilius? Helleniſtica vocatur verſio Græca quæ Ebraiſmos habet. Ergo eadem omnino ratione parique iure *Latiniſtica* verſio dicenda eſt quæ Latina cum ſit, Ebraiſmos omnes quos habet Græca, expreſſit. Ad eumdem modum Pentateuchi Arabica verſio Erpenii quæ latum unguem non receſſit ab Ebraica, ſed omnes eius idiotiſmos Arabice reddidit, non Arabica nuncupanda, ſed *Arabiſtica*. Ergo & *Arabiſtæ* eius auctores appellandi. Quid ſi & illi Arabicæ linguæ ſummopere periti fuerunt, ſed ita vertere maluerunt? Hieronymus qui in ſua verſione retinuit multos Ebraiſmos, quin Latine doctiſſimus fuerit, nemo dubitat. Is tamen *Latiniſta* iure meritoque debeat appellari, qui huiuſmodi verſionem procuderit, Latinis verbis conſtantem, ſed Ebraiſmis refertam. Quo nomine appellitandas cenſebit Gallicam vel Italicam verſiones, quæ Ebraiſmos re-

tinuerunt? Certe *Italiſticam* hanc, *Galliciſticam* illam. Quis porro niſi imperitus aut Helleniſticarius negare queat, λατινίζειν eſſe Latine loqui, ut ῥωμαΐζειν Romane, & ἑλληνίζειν, Græce? Qui Latinis inter loquendum barbara admiſcet, nonne Latini dicunt eum non Latine loqui, οὐ λατινίζειν? Sic nos vulgo eos, qui vitia committunt in Gallico ſermone uſurpando, Gallice loqui negamus. Adverbium illud *Latine* ſi quis Græce vellet reddere, num aliter diceret quam λατινιστί? Ergo & λατινιστὴς, is eſt, qui Latine recte loquitur, ut Ἑλληνιστὴς, qui Ἑλληνιστί, id eſt, Græce. Salmaſius dixerat, quemadmodum non dicitur nunc abſolute Luſitanus, aut Hiſpanus, pro Iudæo Luſitano aut Hiſpano, ita olim Iudæum in Græcia natum, & Græco ſermone utentem, non ſimpliciter appellandum fore Ἑλληνιστὴν, ſed Ἰουδαῖον Ἑλληνιστήν. Hoc nihil ad rem facere, reſpondet Doctorum Hyperalpha. Immo multum facit. Qui id non videt, aut cæcus eſt, ut Talpa, aut videre non vult, ut Dominus Heinſius. Ratio hæc illius eſt: *vocem* Ἑλληνιστὴν *eſſe vocem propriam & peculiarem, & diſtinctam à voce* Ἕλλην, *quamvis & illa nonnunquam notet*. Non hæc cohærent, ſed ratione, quam præferunt, carent. Vox Ἑλληνιστὴς peculiaris eſt ac propria, & ab

Ἕλλην

Ἕλλην diſtincta, & tamen idem interdum notat quod Ἕλλην. Ergo non eſt peculiaris nec propria. Addit: *Significatque Iudæum qui Græce tum ſcit, tum ſacra ſua peragit.* An niſi & ſua ſacra peragat Græce non erit Ἑλληνιστής? Si Græce tantum ſciat, non etiam in Synagoga Græca ſcriptura utatur, ab Helleniſtæ appellatione cenſebitur alienus? Hoc Helleniſticario probandum, non ſumendum. Αὐτὸς ἔφα hic locum non habet. Vox Ἑλληνιστὴς cum pro ſermone accipitur generalis eſt, de omni Ἑλληνίζοντι, hoc eſt, Græce loquente, qui modo Græcę non ſit originis. Et ſic diſtinguitur à voce Ἕλλην quæ omnem ex Gręcia oriundum deſignat, quamvis ſi forte patrii ſermonis oblitus ſit, ut multis olim contigit infantibus in Perſida tranſportatis aut Romam. At cum hæc vox pro Religione ſumitur, generalior eſt, & omnem omnino, qui Græcę & gentilis ſuperſtitionis aſſectator eſt, ſignificat. Tum ab Ἕλλην, cum eamdem ſignificationem gentilis habet, non diſtinguitur. Subiicit Aleph Ebraice doctorum, ad vocem Ἑλληνιστὴς, *nequaquam opus eſſe addere* Ἰουδαῖον, *quia omnis qui in Novo Teſtamento vocatur Helleniſta, Iudæus origine eſt.* Hoc iterum ſumis, non probas. Probabilior quippe longe Salmaſii ſententia eſt, cenſentis, omnem proſ-



Digitized by Google

elytum Ἑλληνιςὴν eſſe, id eſt, Gręce loquentē, aut ἀπὸ Προσηλύτων Ἑλληνιζόντων ortū eo nomine deſignari. Nā fuiſſe proſelytos in illo Helleniſtarum numero, non licet Helleniſticariis negare, cum in ſeptem Helleniſtis diaconis unus proſelytus, teſte Luca, fuerit ex Antiochia, ut iam ſupra docuimus. Subiungit ſummorum ſummus virorum, *Sic non eſſe opus addere voci Phariſæi vocem Iudæi, quia omnino Phariſæus Iudæus eſt.* Hoc verum, ſed nō ſimilis res eſt in voce Ἑλληνιςὴς. Non enim dici poteſt omnem Ἑλληνιςὴν eſſe Iudæum. Quinimmo interdum eum apud Gręcos ſignificat qui Iudæo contrarius eſt, nempe gentilem, & gentilium ſuperſtitionis ſectatorem. Tunc à voce Ἰȣδαῖος æque diſtingui debet, ut Ἕλλω. Præterea omnem Iudæum Græce ſcientem quamvis non utatur Græcanica Bibliorum verſione poteſt ſignificare. Nam & generali notione omnis Ἑλλωίζων, Græco ſermone vtens, ea dictione Græcis notatur, ut Γαλάτης Ἑλλωίζων Philoſtrato, Σκύθης Ἑλλωίζων Aeſchini, Ἰνδὸς Ἑλλωίζων eidem Philoſtrato. Cur non ergo & Ἰȣδαῖος Ἑλλωίζων, vel Ἑλληνιςὴς dicatur, quicunque Græco ſermone uti poteſt? Quę ratio ut Ἑλληνιςὴς in Euangelio denotet Iudæum Gręce legentem ſcripturas, & non etiam eum qui poteſt

teſt legere & intelligere? *Quia*, inquit, *diſtinguitur ab Ebræo*. Tanto magis Ἑλληνιστὴς pro Iudæo apud Lucam non eſt accipiendus. Multi enim Ebræi, & in Synagoga Ebraice ſcripturam legentes, Ἑλληνισταὶ, id eſt, Ἑλληνίζοντες, ſive Græce intelligentes & loquentes. Quid mali habet, aut alieni, à mente Euangeliſtæ, opinio Salmaſii? Quid in illa eſt, quod non admodum probabile ſit, & probari multis argumentis ac rationibus poſſit? Quin multi fuerint proſelyti ex Ἑλληνισταῖς, hoc eſt, ex iis qui Græce ſciebant, quamvis ex Græcia oriundi non eſſent, non poteſt dubitari. Omnes Syri & Alexandrini, id eſt, Græcomacedones, erant Ἑλληνισταὶ, Græca lingua utebantur, non erant oriundo Græci. Syria tota & Alexandria Aegypti huiuſmodi Ἑλληνισταῖς Macedonibus aliiſque à ſtirpe Græcis Alexandrum ſequutis, ſed Syriæ & Aegypti colonis poſtea factis ſub ſucceſſoribus Alexandri, differta fuit. Eorum Græcorum nepotes non amplius pro Græcis habebantur, ſed pro Ἑλληνισταῖς, & peculiarem Græcam dialectum habuere, quam Critici veteres interdum Μακεδονικὴν appellant, ſæpe Ἀλεξανδρέων διάλεκτον. Antiochia, Damaſcus, Cæſarea, Hieroſolyma, & aliæ urbes Syriarum, his Ἑλληνισταῖς abundabant.

Magnuſque eorum numerus ad Iudaiſmum ſeſe applicabant & proſelyti Iudæorum fiebant. Ex huius porro generis proſelytis multos etiam ad fidem Chriſtianam ſub Apoſtolis converſos ex Iudaiſmo fuiſſe, pluſquam veriſimile eſt, quia verum prorſus eſt. Et hi ſunt omnino qui Ἑλληνισταὶ vocantur apud Lucam, quos diverſis locis, ut ſupra notatum eſt, cum ab Ebræis, tum à Iudæis diſtinxit. Quos & proſelytos fuiſſe, vel unus inter eos proſelytus nominatim ex Antiochia memoratus abunde fidem fecerit. Nihil vetat, etiam eorum, quos dixi, Ἑλληνιστῶν appellatione comprehendi, ſi qui ex veris Græcis, quia hi quoque ſermone Ἑλληνίζοντες, Chriſtianæ religioni nomen dederunt.

## *Ad Sectionem* IV.

QUærebat Salmaſius, *quando inter Iudæos Helleniſtica lingua in uſu eſſe cœperit*, ſiquidem Iudæi fuere Helleniſtæ. Id ex præcedenti Sectione haud obſcure colligi poſſe, ait Helleniſticarius. Quod de ea re ibi dictum eſt, adeo mihi obſcurum videtur, ut ne hic quidem repetitum clariuſque explicatum intelligam. Scribit, *ante verſionem* LXX. *interpretum exules Iudæos magnam partem obli-*

*oblitos fuiſſe patrii idiomatis: poſtea cum eius loco in ſacris uterentur Græca lingua, redolente idiotiſmos Ebræos, ſecurius illud excolere neglexiſſe, ita ut pauci admodum ex iis, qui ἐν παροικίᾳ erant, Ebraice vel legere ſciverint, ut obſervatum eſt ab Illuſtriſſimo Scaligero.* Hæc iam refutata ſuperius, ut partim falſa, partim ἀσύστατα, partim etiam ἀνιστόρητα. Nunc iterum iugulentur diſertius. *Ante verſionem,* inquit, *Septuaginta interpretum obliti erant Iudæi patrii idiomatis.* Debuit notare præciſe, quando, & quam longo tempore, ante verſionem illam obrepſerit oblivio patriæ linguæ exulibus Iudæis. Contrarium quippe certum eſt, reducibus ex captivitate Babylonica, linguæ patriæ, quam in captivitate dedidicerant , excoli cœptum ſtudium, non ſolum iis qui in Iudæam reverſi ſunt, ſed aliis etiam qui in Διασπορὰν gentium relegati erant. *Poſtea cum eius loco in ſacris uterentur Græca lingua, redolente idiotiſmos Ebræos, ſecurius illud excolere cœperunt.* Debuit & hic tempus exacte deſignare, quo in Synagogis uti cœperunt Græca lingua, redolente Ebraicos idiotiſmos. An illud *poſtea* de tempore intelligendum eſt , quod fuit poſt verſionem ſeptuaginta interpretum? Ita ſane videtur. Hæc enim in ea oratione, relativa ſunt. Ante verſionem

ſeptua-

ſeptuaginta obliti erant patrii ſermonis exules Iudæi, id eſt, in Diaſpora viventes, poſtea cum uterentur in ſacris lingua Græca, redolente Ebraiſmum, *ſecurius* adhuc, id eſt, ut interpretor, negligentius ſermonem patrium excoluerunt. Tenemus igitur iam tempus, ex quo Iudæi, diſperſi inter gentes, uti cœperunt lingua Græca Ebraïzante, poſt verſionem ſcilicet ſeptuaginta interpretum. Sic ergo manet inconcuſſum dilemma Salmaſii, quod pro Stramineo habet vir fortaſſe fœneus. Sed malo à convitio temperare, & rem ipſam dicere. Ita Salmaſius argumentabatur totidem verbis: *Sane antequam eſſent verſa Biblia, ſi tales Iudæi extiterunt, ſcripturas nullas habuere quas in ſacris legerent. Si non extiterunt, non eſt probabile eos demum exortos eſſet poſtquam verſio Bibliorum exiit.* Quod hic Salmaſius dicit, nonne idem eſt, quod in verbis ſuperius allatis, diſertiſſime ſcripſit Helleniſticarius, Iudæos nimirum exules poſt verſionem ſeptuaginta interpretum, cum Ebræi idiomatis loco uterentur Græca lingua, redolente idiotiſmos Ebræos, ſecurius patrium idioma excoluiſſe? Nonne luce Meridiana liquidius ex his colligitur, antequam verſa eſſent Græce Biblia à ſeptuaginta interpretibus, Iudæos exules non uſos fuiſſe Græca lingua

lingua loco Ebraicę in ſuis ſacris? Et tamen cum hæc ita ſint, ſęculi Phœnix facile reſponderi poſſe ait ad dilemma Salmaſii ſupra propoſitum. Quomodo reſpondet? *Rationem quod ante* LXX *ſenum interpretationem Iudæi* Ἑλληνισταὶ *in rerum natura non potuerint eſſe, prorſus eſſe ſtramineam.* Stercorea hæc eſſe & putida, & bonæ rationis inania, ſecumque pugnantia, niſi oſtendo, non renuo pro ſtramento, & ſi quid vilius eſt, haberi quæ dixero. Neſcire quid dicat Helleniſticarium, nec ſentire cum ſibi ipſi contradicit, iam planum faciam. In prima Sectione Ἑλληνιστὰς definivit, *gente ac domo Iudæos, qui legebant in Synagogis* Ἑλληνιστὶ, *quos propterea Ebræis opponi dixit, qui tum Ebraice ſciebant, tum in Synagogis ſuis Ebraica lingua utebantur.* Ita ſcribit pag. VI. primæ Sectionis. Eiuſdem Sectionis pag. VIII. hos ipſos Helleniſtas origine Iudæos fuiſſe, Grece ſciviſſe, & Græcanica Bibliorum verſione uſos eſſe narrat. Ut ſciamus autem, Grecanicam illam verſionem de interpretatione τῶν LXX eum intellexiſſe, id diſerte explicat pag. XI. eiuſdem Sectionis, his verbis: *Hoc vero nobis ſufficit,* Ἑλληνιστὰς *Græce ſciviſſe, & Græca* LXX *ſenum interpretatione in Synagogis ſuis uſos fuiſſe.* Helleniſtæ ergo ex hac Helleniſticarii definitione proprie

dicti

dicti ſunt, qui ſeptuaginta interpretum verſione in ſuis Synagogis utebantur. Quid igitur ex eo concludi poteſt, niſi hoc, *Helleniſtas* nempe nullos fuiſſe antequam verſio illa prodiiſſet? An non id neceſſario conſequitur? Ebræos etiam apud Lucam idcirco ab Helleniſtis diſtingui docuit, quia Ebræi Ebraice ſcripturas legerant in ſuis Synagogis, Helleniſtæ vero uterentur Græcanica verſione ſeptuaginta interpretum. Ergo ante illam verſionem nullum fuit diſcrimen Ebræorum & Helleniſtarum, cum omnes Ebræi eſſent, quia omnes Ebraice ſcripturam in Synagogis legerent, nulli Græcanice, ac proinde nulli tunc extarent aut cognoſcerentur Helleniſtæ? Si ſtramienea eſt hæc ratio Salmaſii, ex eodem ſtramine texta eſt oratio Helleniſticarii, qui prorſus idem aſſerit, ſed verbis aliis. Quid enim aliud ſonant quod dixit, poſt verſionem LXX interpretum exules Iudæos loco Ebraicæ, lingua Græca uſos eſſe, id eſt, Helleniſtas eſſe cœpiſſe, & patrium idioma ſecurius excoluiſſe? Explicatius hoc idem paulo poſt ſcribit his verbis: *Ante verſionem* τῶ LXX *uſi ſunt Iudæi ἐν τῇ Διασπορᾷ Bibliis Ebræis & interpretatione* τῶ *γραμματέων: quod quia perquam moleſtum erat, Græca Biblia, quæ melius intelligebant, pro Ebræis ſubſtituerunt.*

*runt*. Græca illa Biblia ſunt Græce verſa à ſeptuaginta interpretibus. Ex quibus neceſſe eſt concludere, poſt illam verſionem & uſum eius in Synagogis receptum, *Helleniſtarum* demum nomen exortum eſſe, quod ante non fuerat, cum omnes Ebræi audirent, quia Ebraico ſolo textu omnes uterentur. Rem ipſam quoque cum nomine, hoc eſt, linguam Hellenicam inde cœpiſſe, id eſt, à verſione ſeptuaginta originem duxiſſe, vel ipſo teſte Helleniſticario evincam, ipſumque convincam. Nam clare ſcripſit, *Poſtea*, id eſt, poſt illam verſionem, Græca lingua uſos eſſe Iudæos, redolente idiotiſmos Ebræos. Hæc lingua eſt Helleniſtica, lingua nempe Græca, flagrans vel redolens idiotiſmos Ebræos. Tam boni odoris linguam fuiſſe nullam, antequam extaret tranſlatio ſeptuaginta ſeniorum, auctoritate tanti viri probari poteſt. Sic & Helleniſtarum & Helleniſticę linguę eadem origo eſt ac principium, ex illa verſione. Veriſſimum itaque primum membrum Dilemnatis Salmaſiani, Si tales Iudæi, id eſt, Helleniſtæ qui dicerentur, ęxtiterunt antequam eſſent verſa Biblia, ſcripturas quas legerant in Synagogis habuere nullas. Quid contra poteſt opponi? An tales non fuiſſe? Inde ergo concludetur, exortos demum

mum tales eſſe poſt verſionem τῶ ſeptuaginta. Et, hoc eſt, quod hic clare ſcripſit Helleniſticarius in verbis ſuperius citatis. Videtur tamen idem contrarium adſtruere ubi deſtruere conatur dilemmatis Salmaſiani priorem partem, & rationem eius ſtramineam eſſe pronuntiat, qua ille probare vult, ante LXX ſeniorum interpretationem non potuiſſe eſſe in rerum natura Iudæos Helleniſtas. Eam rationem ut proſternat, & vice ſtraminis conculcet, ita infert. *Eodem enim modo*, inquit, *liceat mihi concludere, modernos pontificios nulla Biblia aut Roſaria habere, quia illa quæ in conventiculis ſuis legunt, omnia Latina ſunt, quæ ne decimus quidem è vulgo intelligit*. Stramen ipſum ſim, non ſtramineus tantum, ſi ullam in his conſequentiam perſpicio, aut aliquid ſimile argumentationi Salmaſii. Cui liceat ullo modo concludere, pontificios hodiernos nulla Biblia, Roſaria, aut Breviaria habere, quæ habentur, tenentur, leguntur? At de his quæ non apparent, non extant, an extiterint, incertum eſt. Immo quæ certioribus argumentis probari poſſunt nõ fuiſſe, quam fuiſſe, quis non ita concluſerit, ut Salmaſius, ea omnino non extitiſſe? Adeo autem firma certaque eius ratiocinatio, ut cogatur nolit velit, quãvis imprudens & cæcus,

cus; in eamdem concluſionem deſcendere, an decidere, Helleniſticarius. Sic enim poſt illa verba, quibus infirmare aut ludificari conatus eſt Salmaſii concluſionem, ſtatim adiicit: *Ante verſionem τῶν ſeptuaginta uſi ſunt Iudæi ἐν τῇ Διασπορᾷ Bibliis Ebræis & interpretatione τῶν γραμματέων: Quod quia perquam moleſtum erat, Græca Biblia, quæ melius intelligebant, ſubſtituerunt.* Ergo priuſquam ſubſtituiſſent Græca iſta Biblia ex ſeptuaginta interpretum verſione, nullam aliam habuere Græcanicam verſionem, Helleniſtica lingua Ebraiſmum redolente conceptam. Nulli etiam fuere Helleniſtæ qui ea uterentur, ac proinde nulla Helleniſtica lingua. Certum eſt autem, ſtylum quo Roſaria & Breviaria conſcripta ſunt, non à Breviariis aut Roſariis originem ducere. Monachi, longe ante quam Breviaria extarent aut Roſaria, eo ſtylo uſi ſunt. Multos libros eo ſermone conſcriptos fuiſſe liquet, ex corrupta infimi ævi Latinitate, & Latina Bibliorum interpretatione haud minus vitioſa, formato. Non enim Latinior eſt verſio Romana ſcripturæ ſacræ, quam Ἑλ-ληνικὴ eſt Græca eorumdem Bibliorum tranſlatio. Nec ergo mirum, ſi patres Chriſtiani, & Monachi qui Latine ſcripſerunt, cum impuram verſionem ſcripturæ noctur-

na diurnaque manu verſarent, ſtylum inde contraxerunt minus Romanum & βαρβαρικώτερον. Eadem ratio fecit, ut Helleniſtę, non ex Iudæis, ſed ex Græciſſantibus proſelytis, qui toti erant in Bibliorum Gręcanica verſione, quam aſſidue terebant, tincturam inde adfricarent dictioni ſuæ minus puram, ſed Syriaſmos & Ebraiſmos, quibus illa verſio ſcatet, redolentem. Cæterum quemadmodum ante verſionem Bibliorum Latinam, ſtylus ille Biblicus in Breviaria & Roſaria, aliaque Monachorum ſcripta tranſiit, & ex aſſidua ſcripturę ita Latine verſæ lectitatione & meditatione nulla talis Latinitas extitit, ita & ante Bibliorum Græcanicam traductionem nullum eiuſmodi ſcribendi loquendive Græcum Characterem liquet fuiſſe. Merito ergo Salmaſius, quia tales Iudæi Helleniſtę ante verſionem τῶ ſeptuaginta non extitiſſent, poſteriorem dilemmatis partem concludebat, *non eſſe probabile, eos demum exortos eſſe, poſtquam verſio Bibliorum exiit*. Quod de Helleniſtis Iudęis intelligi par eſt, non de proſelytis vel Apoproſelytis Græciſſantibus. Nam eos emerſiſſe præcipue poſt verſionem Bibliorum Græcanicam ab interpretibus ſeptuaginta curatam, veriſimile eſt. Ex occaſione enim eius verſionis re-

ligio-

ligionem Iudæorum maxime innotuiſſe Græcis, & Græciſſantibus Syris & Alexandrinis Aegyptiis, conſtat. Qui curioſitate adducti, ut mos eſt humani ingenii, quia iam patebant arcana illius θρησκείας, facilius iſti ſectæ ſe dediderunt, ubi facilius, quid contineret boni, intelligere cœperunt. Non quod præfractę negitem, ante verſionem τῶ LXX. neminem ex Græcis vel Græciſſantibus per proſelytiſmum Iudaicam religionem capeſſiſſe, ſed ſi qui adgregabantur tum in Iudæorum cœtus, cum propriã Synagogam non haberent, nec privam lectionem ſcripturæ, una cum Ebræis Iudęis congregabantur, eamdem audituri Ebraice legendam ſcripturam. Nec Helleniſtarum nomine cogniti tum fuere, qui poſtea diſtincti ſunt, & Ebræis & reliquis proſelytis Græce neſcientibus. Certe fatendum eſt, ante verſionem τῶ LXX, admodum raros extitiſſe qua Græcos qua Græciſſantes, niſi Ebraice etiam ſcirent, qui Iudaiſmum amplecterentur. Ex Iudæis vero originariis non eſt credibile quemquam uti voluiſſe Græcanica verſione interpretum ſeptuaginta, cum tot per annos ex quo reduces facti ſunt, uſque ad verſionem Bibliorum de ulla tranſlatione Græcanica non cogitarint, ſed ſemper perſtiterint in lectione E-

braica ſcripturæ, quamvis plerique ex his Ebraice neſcirent. Valet ergo valituraque eſt, apud omnes ſanioris & æquioris iudicii homines, argumentatio Salmaſii, quam his verbis propoſuit. *Cum hodieque Iudæi per omnes orbis partes etiam extremas diſperſi linguam ſuam cuſtodiant, & Biblia Ebraica legant intelligantque, an cuiquam veriſimile videri queat, eo tempore, idque in Iudæa, & Syria, fuiſſe Iudæos, qui patriam linguam neſcirent, & Biblia legere peregrino ſermone reddita cogerentur?* Contra hæc invalidum telum dirigit Coloſſus eruditorum, non perventurum quo mittitur. Nec rem tangit, nec virum. *Status,* inquit, *controverſiæ non debet mutari. Non enim tam eſt quæſtio de Iudæis in Iudæa & Syria viventibus, quam de iis qui extra utramque regionem ἐν παροικίᾳ erant.* Quid ſi Salmaſio libuit hunc quæſtionis ſtatum facere de Iudæis in Syria incolentibus? an alio illum vocabis? An mutavit quæſtionis ſtatum qui non alium movit? Non ſane quem voluit, fecit Salmaſius, ſed ex re ſumpſit. Quæſtio quippe maxime eſt de Helleniſtis Hieroſolymitanis. Ibi Eccleſiæ Chriſti prima iacta ſunt fundamenta, ex Ebræis & Helleniſtis compoſitæ. Hieroſolymis accidit ille γογγυσμὸς Helleniſtarum contra Ebræos. Ibidem delecti ſunt è numero Helleniſtarum ſeptem

ptem diaconi. Qui omnes Syri fuere, vel Iudææ originarii, vel Antiochiæ. Nam unus ex his Antiochenus proſelytus à Luca nominatur. Quæcunque ergo de exulibus Iudæis dixit Helleniſticarius, in hos Helleniſtas non conveniunt, qui non fuere exules, ſed Iudæę aut Syriæ originarii, Non præciſe tamen negat virorum ingenioſiſſimus, quæſtionem eſſe de his Iudęis, ſed non tam de his quæri ait quam de exulibus. Ergo de illis quoque agitur, quamvis de his magis. Ego vero repono ſuas voces Helleniſticario, & dico, non debere ab eo controverſiæ ſtatum mutari. Non enim tam eſſe quæſtionem de iis Iudæis qui extra Iudęam & Syriam in Diaſpora erant, quam de iis qui in his duabus regionibus degebant. De his ergo Salmaſius dixit, minus ſibi videri, eo tempore in Iudæa & Syria extitiſſe Iudęos qui Ebraice legere neſcierint. Id enim eſſe falſiſſimum, arguit quod de Paulo ſcripſit Lucas in Actis, verba eum feciſſe ad populum Ἑβραΐδι διαλέκτῳ. Nihil aliud tota hac Sectione deblatterat Sophiæ Helleniſticę Medulla, quam, *paucos admodũ ex Iudæis, qui ἐν παροικίᾳ erant, Ebraice vel legere ſciviſſe.* Item, *multos ex his ignaros pæne per omnia patrii idiomatis extitiſſe.* Item, *Aequis cenſoribus perquam veriſimile vi-*

*deri, Iudæis illis obrepſiſſe oblivionem patrii idiomatis, & indiguiſſe aliquo Bibliorum interprete. Idque exemplo ſe probaſſe eorum qui redierant ex captivitate Babylonica.* Quaſi in eadem ignorantia ſuæ linguæ perſtiterint reduces facti, quam erant in captivitate paſſi. Quare evaneſcit, inquit, illud Salmaſii, *An cuiquam veriſimile videtur?* Immo non evaneſcit, nam de iis id ab eo dictum, quos & ipſe fateris non veniſſe in oblivionem patrii idiomatis. De Iudæis nimirum Syriæ, & Iudæę, ex quibus paucos admodum extitiſſe qui vel ſcirent Ebraice legere, mirum Salmaſio, nec veriſimile viſum eſt. Sed miſſum faciemus hunc quæſtionis ſtatum, & eum, quem mavult Criticorum Helleniſticorum princeps, cum illo diſceptemus. Ad lineam igitur ſtemus de illis exulibus Iudæis. Immo demus illi quod petit, & plus quam petit, non multos tantum ex illis Iudęis *παροίκοις* gentium, ſed omnes, patrii idiomatis, id eſt, Ebraici, perquam ignaros fuiſſe, & indiguiſſe Bibliorum aliquo interprete. An propterea neceſſe fuit, ut omnes uterentur Græcanica Bibliorum verſione, & Græco interprete? Hoc de illis qui in Græcia nati erant & inter Græcos vivebant, fortean verum fuerit, ſed de aliarum nationum Iu-

dęis

dęis qui poterit verum videri ? Ita tamen Helleniſticarius, in hac Sectione loquitur, quaſi omnibus omnino Iudęis ἐν Διασπορᾷ, ubicunque gentium conſiſtentibus, neceſſitas incubuerit, ex ignorantia patriæ linguæ, Biblia habere Grȩce tranſlata. An nullus tunc angulus terrarum extitit, in quo Iudæus conſiſteret, quin Græca ibi lingua melius foret nota quam alia quælibet ? Non putem ego, tam catholicam fuiſſe eo tempore linguam Græcam. Ut multi uſus fuerit in omnibus fere Orientis provinciis, non ita tamen frequens fuit & communis, ut præter mercatores, proceres, doctos & honeſtos aliquot viros, ab omnibus vulgo ac paſſim intelligeretur, à mulieribus, à pueris, ab indoctis, à plebe, à fæce opificum, à ruſticis. Atqui horum potius habenda fuit ratio quam paucorum doctiorum. Certe hodieque linguę Gallicę magnus uſus in plerisque provinciis Europęis, in Italia, in Belgio, in Hiſpania, non ſic tamen promiſcua eius notitia omnibus patet, ut Hiſpani, aut Itali, aut Belgæ, ſacra ſua in ea lingua celebrare debeant. Non putarim autem, linguam Grȩcam in Orientis provinciis communiorem fuiſſe quam in Europęis eſt lingua noſtra Gallica hoc tempore. Nec ergo neceſſe habuerint Iudęi

in illis regionibus Orientis conſiſtentes, Græco potius ſermone Biblia interpretari, quam nationis illius idiomate, quod ab uberibus hauſerant. Nimis itaque generaliter loquutus eſt Helleniſticę grandis auctor, cum dixit in hac Sectione, *Ante verſionem τῶν LXX uſos eſſe Iudæos ἐν τῇ Διασπορᾷ Bibliis Ebræis, & interpretatione τῶν γραμματέων. Quod quia perquam moleſtum erat, Græca Biblia, quæ melius intelligebant, pro Ebræis ſubſtituerunt.* An magis moleſtum fuit, Græcos Iudæos uti Gręca interpretatione, quam Perſas Perſica, Armenios Armeniaca, Chaldęos Chaldaica? Qui ex Iudęis Chaldaice interpretari debebant ſcripturas, quia nec Gręce nec Ebraice ſciebant, numquid ut hanc interpretandi moleſtiam evitarent, eos oportuit Chaldaica Biblia pro Ebraicis ſubſtituere? Ita Eſdras poſt remigrationem populi è captivitate Babylonica ſcripturam per Levitas interpretatus eſt Chaldaice, quæ lingua erat ei familiarior. Quidni igitur in Perſide nati Iudæi, Perſicam debuerunt habere Bibliorum interpretationem potius quam Græcam, & qui in Babylonia remanſerant, Chaldaicam? Qui inter Arabes ſedem fixerant, Arabicam? Qui in Occidente, ubi Romana lingua magis communis erat quam Græca, Romanam & Latinam?

nam? Quæ ratio diverſitatis, ut inter Græcos nati & educati Iudæi, debuerint Bibliorum verſione uti Græca, & inter Parthos aut Romanos relegati Parthicam aut Romanam non deſideraverint, ſed ibi quoque Græcanicam potius ſequi neceſſe illis fuerit? Sic enim in hac Sectione ſcribit vir ſupra viros: *Quis non exiſtimet, Iudæos exules qui verſabantur in regione in qua uſus Græcæ linguæ erat, indiguiſſe primo interprete, qui ea quæ Ebraice erant ſcripta, Græce explicaret, & dein tranſlatis iam Bibliis coactos fuiſſe verſionem illam, ut notiorem, amplecti.* Quod ſi in illa regione in qua uſus erat linguæ Græcę, familiarior fuit lingua ipſius regionis naturalis quam Græca, an non eam potius illius loci indigenæ amplecti videntur debuiſſe, quã Gręcam, quæ tam Iudæis quam cæteris regionis eius incolis extranea fuerit ac peregrina? Quænam autem regio poteſt reperiri, quæ propriam & nativam aliquam habeat linguam & à Græca diverſam, quin eam habeat familiariorem quam Græcam, quamvis in ea regione Græcæ linguæ uſus etiam ſit? Ne quis autem putet, per *regionem in qua uſus Græca lingua erat*, ab Helleniſticario intelligi Regionem aliquam Gręcię, certum eſt ex iis quæ in præcedentibus Sectionibus docuit, quamlibet Orientis provin-

ciam eſſe accipiendam. Sive Parthia illa ſit, ſive Media, ſive Aſſyria, aut Babylonia, Perſis etiam, India & Babylonia, Sarmatia etiam Orientalis, & Scythia, Tartariaque, Bactriana & Arachoſia, ultimique Orientalium Seres, & Sinæ, hoc nomine intelligendæ veniunt omnes, ſi modo in illis regionibus fuere Iudæi, & ſi linguæ Græcæ uſus aliquis in ſupra ſcriptis provinciis ac gentibus fuit. Supra quippe in Sectione III has duas attulit cauſas cur Iudæi in Græcam linguam tranſtulerint loquutiones Ebrææ ſibi olim vernaculæ: primo *quia lingua Græca erat communiſſima, & per totum fere orbem diſperſa: deinde quia erat etiam notior populis illis Orientalibus, inter quos vivebant, & morabantur*. Ex his verbis liquet, quamcunque regionem Orientis, ab Helleniſticario deſignari, cum dixit hic, exules Iudæos, qui verſabantur in regione in qua uſus Græcæ linguæ erat, Græca primo interpretatione Bibliorum, deinde & verſione, uti, omnino coactos eſſe. Niſi ſcirem certo, hanc Exercitationẽ ab Nobiliſſimo Heinſio, ſui ſæcuci eruditorum facile principe, immo & Phœnice, ut amici eius volunt, ſcriptam eſſe, vel ſane ſuggeſtam, poſſem credere, à fanatico aliquo, quem multæ litteræ dementaſſent, exiiſſe tam inſanam commentatio-

tatio-

tationem. Quid enim tam alienum à ratione ac ſenſu communi fingi poteſt, quam Garamantas & Indos, Græcam linguam notiorem habuiſſe quam Garamanticam & Indicam? Iudæoſque ibi degentes Græcam Bibliorum verſionem amplecti compulſos eſſe, quia communior uſus fuit linguæ Græcæ in illis & aliis Orientalibus regionibus, quam vernaculæ. Suadeat nunc, & perſuadeat, ſi poteſt, in Luſitania Hiſpania vitam agitantibus Iudæis, ſcripturam ſacram Gallice potius explicare in Synagogis ſuis quam Hiſpanice aut Luſitanice, quia uſus Gallicæ linguæ frequens eſt in illis provinciis. Hic notandum eſt, dicere illum, tranſlatis iam Bibliis in Græcum ſermonem, *coactos fuiſſe omnes Orientalium regionum Iudæos eam verſionem amplecti, ut notiorem*. Ex occaſione ergo verſionis Græcæ à Ptolemæo Philadelpho curatæ, uti cœperunt Bibliis Græcanicis Iudæi etiam Orientales, & omnino omnes in Diaſpora gentium incolentes. Quid ſi nunquam Philadelpho in mentem veniſſet huiuſmodi verſione Bibliothecam ſuam locupletare, ac miſeri Iudæi non cogitaſſent de aliqua eiuſmodi verſione ſibi paranda, cuius neceſſitatem tum demum agnoverunt, cum viderunt factam? Neceſſi-

tas

tas ipſa nonne debuit potius eos admonere, ut talem ipſi potius verſionem ederent, quam ut editam acciperent opera regis gentilis ? Hoc ſupra tentavit efficere virorum ingenioſiſſimns, dubitavitque, utrum Ptolemæi auſpiciis, an ab iis qui præſentis neceſſitatis rationem habebant, tranſlata in Græcum eſſent Biblia. Et hanc posteriorem ſententiam Scaligero affingit, & cum aliis ei communem eſſe ſcribit, maximo mendacio. Nemo enim doctorum ſenſit aut ſcripſit, neque ex veteribus, neque ex recentioribus, verſionem Bibliorũ, quę τοῖς ſeptuaginta tribuitur, ab ipſis Iudæis eo fini fuiſſe elaboratam, ut in Synagogis loco Ebraicæ ſcripturæ quam non intelligebant, legi poſſet. Tametſi autem de veritate huius opinionis conſtaret, quæ falſiſſima eſt, multa tamen poſſent dici contra. Cur poſt aliquot ſæcula à remigratione ex Babylone tranſacta, Iudæi de verſione Græca facienda demum agitarunt? Cur non prius eam dederunt? Cur non ſtatim poſt reductionem ex captivitate? An Ptolemæi temporibus lingua Ebraica Iudæis minus erat familiaris quam antea, & Græca magis nota? Cur Iudæi Græce intelligentes verſionem Græcam habere voluerunt, cum de Chaldaica habenda ſolliciti non fuerint Chal-

daice

daice ſcientes? Neque Arabicam ſibi procurare ſtuduerint in Arabia nati, aut Perſicam in Perſide morantes? In tam infinito Iudæorum numero qui Orientales tot regiones incoluerunt, cum habitu, tum lingua inter ſe differentes, nulli ne extitere, quorum intereſſet alia magis lingua quam Græca expreſſas habere ac legere in Synagoga ſcripturas? Hoc oppido quam mirandum, nec omnino credendũ, præ amore ſcilicet Græcę linguę, etiam qui aliam melius ſcirent, quam & à pueris didiciſſent, Græcam tamen, quã minus intelligebant, prætuliſſe. Sed age, vel hoc ei etiam largiamur, omnes exules Iudæos omnium Orientis Occidentiſque regionum, nullã aliam calluiſſe aut caluiſſe linguam præter Græcam, hac ſola, non alia, uſos eſſe in interpretandis ac legendis ſcripturis: quid illi factũ eſt verſioni, poſtquam exulavit ex toto orbe linguę Græcę uſus? Exulibus illis alia quærenda fuit verſio, ubi hæc nullius uſus eſſe inter gentes cœpit, quæ ex ipſa etiam Græcia exterminata eſt. A multis retro ſæculis hoc accidiſſe neminem latet. Cur non igitur aliam Bibliorum tralationem lingua aliqua, ex iis quæ nunc in Europa vigent, in eius locum ſubſtituere? Hoc omnino præſens neceſſitas poſtulabat, ſi quan-

quando neceſſarium fuit Græce verſam illis habere ſcripturam. Cum lingua Græca ubique terrarum in uſu eſſet. Ubi deſiit in uſu eſſe per omnes gentes, de alia videndum eis fuit, vel Turcica, vel Arabica, vel Slavonica, vel Tartarica, & alia qua, ex iis linguis, quæ latiſſime nunc patent, & in Oriente notiores ſunt. Stat igitur firmum Salmaſii argumentum. Quandoquidem hodie Iudæi per omnes orbis partes linguam ſuam cuſtodiant, & Biblia in Synagogis ſuis Ebraice legant: Cum poſt liberationem à captivitate Babylonica uſque ad Ptolemæi Philadelphi tempora ſemper ſcripturam Ebraice legerint: Cum denique à multis retro ſæculis, nullas verſiones habuerint ſanctę ſcripturę: Nō videri conſentaneum, ut credantur aliquando uſi Græcanica interpretatione ſeptuaginta ſenum, ne in illis quidem terris ubi maxime uſus fuit linguæ Græcæ, id eſt, in Græcia ipſa. At Helleniſtæ de quibus ſermo eſt, utpote Græciſſantes proſelyti, nec alia lingua utentes niſi Græca, Synagogas habuerunt in urbe Hieroſolymitana, in quibus verſio ꝧ ſeptuaginta legebatur, quia Ebraice non norant. Nam illa Libertinorum Synagoge, Cyrenenſium, Cypriorum, Aſiaticorum, quarum mentio apud Lucam in Actis cap.

cap. VI, Helleniſtarum fuere Synagogæ. Nec eſt veriſimile, Iudæos Hieroſolymis vixiſſe tam ignaros ſuæ linguæ, ut verſione uti τ̃ ſeptuaginta debuerint. Nec etiam credibile, toleratos fuiſſe à reliquis Iudæis tales Iudæos, qui in media Iudæa, in urbe Sancta, Synagogas peculiares haberent, in quibus tantus linguæ ſanctæ contemptus præferretur, ut pro Ebraicis Bibliis, profanorum & idololatrarum lingua verſę divinę ſcripturę legerentur. Ad omnia Salmaſii argumenta & ratiocinationes nihil aliud reponit Criticorum ἐξοχώτατος, niſi hoc unum, *ad rem non facere*. Et hic quoque, *nec quicquam ad rem facere*, dicit, *quod hodie Iudæi per totum Orientem & Occidentem Ebræa lingua utuntur*. Rationem addit, *Hoc enim deberi Iudæis Tiberienſibus Meſoræ auctoribus, aut potius Dei providentiæ*. Nihil ad rem facit hæc reſponſio. Ergo ad rem facit Salmaſii argumentatio. Chriſtianorum potius negotium reſpicit illa Dei providentia, quam ad Iudæos. Excitavit ille Maſorethas, qui ſepem legi circumdarent, integritatemque ſcripturarum imviolatam conſervarent. Inde factum, ut in diſputationibus inter Iudæos & Chriſtianos de Meſſia exortis, & teſtimonio atque auctoritate ſcripturæ decidendis, non aliud pro alio citare poſſint

poſſint Iudæi, ſed cogantur ſtare ſcripturæ ipſi, ſicut illibatã cuſtodivit ſcrupuloſa Maſoretharum diligentia. Hoc ergo bonum, quod à Maſorethis procuratum eſt, in Chriſtianos potius redundat, quam ſpectat Iudæos. Teſtimoniumque ex Ambroſio allatum ab Helleniſticario, hoc ipſum comprobat. Quo ergo pertinebat, Maſorethas hic nobis allegare, ut iis imputetur cauſa, quare hodie Iudæi per totum Orientem & Occidentem Græca lingua utantur? Si hęc valerent, ſtatim poſt ſuſcitatos Maſorethas debuit verſio Græcanica Bibliorum repudiari ab Helleniſtis. Nam dicit Helleniſticarius, *Deum omnes Iudæos volentes nolentes per Maſoretharum ſcrupuloſam diligentiam Ebraica Biblia legere & cuſtodire compuliſſe*. Hęc adnumeranda ſunt fanaticorum ſomniis. Maſorethæ ergo effecerunt, ut ubique terrarum Iudęi exules è manibus depoſuerint, & è Synagogis ſuis exterminarint ſeptuaginta interpretum verſionem, & Ebraicum textum in eius locum reſtituerint, exoletum pridem, & abolitum per illius tranſlationis occaſionem. Cur igitur Iuſtiniano imperante adhuc erant Iudæi qui Græca ea verſione utebantur in Synagogis, tot annis iam elapſis ab inventa per Maſorethas punctatione? Si hodie extarent tales Iudæi,
quales

quales ſub Iuſtiniani imperio multi extabant de Helleniſtarum proſelytorum proſapia, qui Græce tantum intelligerent, non etiam Ebraice, quis dubitat quin verſioni τ͂ LXX locus adhuc futurus foret in eorum Synagogis? Tamdiu illi durarunt quamdiu linguæ Græcæ conſtitit duratio. Ubi illa mutata eſt in aliam linguam, quæ incognita eſſet antiquum Helleniſmũ tenentibus, & quæ in tantum differret ab auctorum qui Græce ſcripſerant, idiomate, tum illi verſioni nullus amplius relictus locus, cuius uſus foret nullus. Illi autem Helleniſtarum nepotes, originis ſuæ & proſelytiſmi principiis tanta temporum intercapedine pridem obſcuratis prorſus & diſſimulatis, cum iam nec diſcernerentur Græcæ ſcripturæ lectione, confuſi in poſterum cum veris & originariis Iudæis, nullam diſcriminis quod antea fuerit, nunc præferunt notam. Quod ait Helleniſticarius, *poſt Chriſti mortem* excitaſſe Deum Maſorethas, quis non credat, ſtatim à Chriſti reſurrectione illos ſurrexiſſe? Atqui ætate Hieronymi quadringentis plus minus annis poſt Chriſti mortem nondum noti erant, quia nondum nati. Imo non niſi poſt abſolutum Talmud, hoc eſt, circa annũ Chriſti 500, ex eruditiſſimorum virorum, quę nunc obtinet, ſententia,

tia, apiculi illi Maſorethici noſcitari cœperunt. Et tamen certum eſt, toto illo ſpatio plures legis doctores, & Ebraice doctos viros, extitiſſe in Iudæa & alibi per omnem Diaſporam gentium, quam à Maſorethis uſque adhuc. Sed nec hodierni Iudæi utuntur in Synagogis ſuis Maſorethica ſcriptura, ſed legis textum legunt, nullis punctis, nullis interpunctionibus, nullis accentibus notatum. Vidi Amſtelodami, cum ante aliquot annos ibi eſſem, & Synagogos Iudęorum Luſitanorum qui ibi ſunt inviſerem, puerulũ quadrimum doctoris, Ebraice loquentem, & legentem, qui tamen ignorabat, an ulli unquam fuerint Maſorethæ in rerum natura. Fateor, Maſorethas opera ſua & ſtudio faciliorẽ commodaſſe diſcentibus Ebraice linguæ eius cognoſcendæ copiam, & viam inveniſſe qua ab omni labe ac vitio ſcripturæ textus ſartus tectuſque ſervaretur. Nego autem, per eorum induſtriam factum, ut Græcanica interpretatio & tranſlatio ſcripturarum deſereretur à Iudæis, quam utique nunquam ante uſurparunt. Neſcio porro, qui ſint illi *cauſarii*, à quibus legem perferendam per omnes gentes fuiſſe ait Helleniſticarius. Novi, qui ſint *cauſarii* apud auctores Latinitatis idoneos, Liviũ, Senecam, Suetonium, & alios

auctores

auctores hiſtoriæ Auguſtæ. Sed fortaſſean ex aliquo linguæ alicuius Helleniſticæ myrothecio *cauſarios* illos depromſerunt Chriſtianorum, parum nobis cognitos, & omnibus puto Latine ſcientibus ignotos. *Cauſa*, eſt morbus, ut Græcis *αἰτία*. Sic *ſontica cauſa* Tibullo ſonticus morbus. Inde *cauſarii*, morboſi, & ex morbo invalidi. Nam cauſa quę morbum facit, pro morbo. Quæſierat Salmaſius, quādo inter Iudæos Helleniſtica lingua in uſu eſſe cœperit. Nunc ego quæro, quando eſſe deſierit. Tam celebris linguæ & per totum Orientem Græce loqui volentibus uſitatæ ceſſatio non poteſt eos latere qui omnia intima eius dialecti penetrarunt. Nota habent eius principia, progreſſus, fines, uſum: an poteſt eos fugere, quem tandem exitum fecerit? ubi & quando animam exhalarit? quæ cauſa eius interitus & internecionis fuerit? Vivebat adhuc & vigebat Chriſti & Apoſtolorum eius ævo. Novum Teſtamentum, ut volunt, ea lingua conſcriptum totum. Quid poſtea illi factum ſit, an ignoratur? Ex ſcriptoribus Chriſtianis qui poſt Apoſtolos ſcripſerunt, & in prima & ſecunda Apoſtolorum ſucceſſione vixerunt, nullus oſtenditur, qui eam linguam affectarit. Linguam tam ſanctam, utpote Chriſti diſcipulis tam familia-

 rem,

rem, & tanti uſus in Syria Iudæaque ac toto Oriente, ut in tantum tam cito contemptum venerit apud primos Chriſtianos, non tantum miranda, ſed etiam vix credenda res. Adeo nobilem, adeo communem, adeo notam omnibus Orientalibus Græciſſantibus linguam, & quod omnia ſuperat, ipſorum Apoſtolorum & Chriſti diſcipulorum propriam dialectum, qua conceptæ fuere & Novi fœderis Tabulæ, cur adeo deſpicatam habuere eorum diſcipuli, ut nemo eorum hac lingua ſcripſerit? Non Clemens, non Papias, non Polycarpus, non Ignatius, non Irenæus, nec eorum quiſquam qui Apoſtolis aut Apoſtolorum diſcipulis ſucceſſere, quorum ad nos ſcripta pervenerunt. Quid autem facilius illis fuit, quam ea lingua libros ſuos conſcribere qua omnes Orientales loquebantur? Pæne vero impium illis fuerit, aliam Græcam linguam uſurpare, cum occurreret hęc, & longe ſanctior communi Græca, & in Oriente toto etiam communior, atque uſitatior, nec minus elegans. Nam & elegantias eam ſuas, ſi diis placet, habere aſſerunt. Sed & formatam, ſtabilitam, conſtitutam fuiſſe in Oriente hanc dialectum, haud minus, quam in Græcia Græcam. Valde tamen in arcto concluſæ, & in anguſtum redactæ videntur

dentur omnes eius opes & copiæ. Non enim poſſunt aliud in ea lingua ſcriptum proferre præter Vetus & Novum Teſtamentum. Cuius utriuſque operis, nec poſſunt dicere auctores fuiſſe Helleniſtas. An dicent, veteris Tabulæ interpretes eſſe Helleniſtas? Non licet hoc illis, ex definitione Helleniſtarum, quam attulerunt. Apoſtolos qui Novum Teſtamentum conſcripſere eadem definitio ſecludit ab Helleniſtarum cenſu & appellatione. Nam fuere illi ex Iudęis qui Synagogę intererant Ebraicæ. Multi ex illis ne Græce quidem ſciebant. Et ſi qui Græce ſcierunt, cum & Ebraice admodum periti eſſent, & Synagogas Ebræorum frequentarent, non debent in hunc cœtum Helleniſtarum adgregari, ut Paulus. Quid igitur fiet? Quomodo deliciolum ſuum, delicatulam & dilectam filiolam, defendet pater Helleniſticariolus? Helleniſtica Novi Teſtamenti alia eſt ab Helleniſtica veteris. Illa præter Ebraiſmos, habet etiam Latiniſmos plures, & multas Latinas voces, quæ in veteri non habentur Helleniſtica. Præterea neutra Helleniſtica auctores habet Helleniſtas. Nam nec veteris fœderis Græce conſcripti auctores Helleniſtæ erant, nec Novi, cum utriuſque operis lingua ſit Helleniſtica. Unde igitur

Helleniſtica ab Helleniſtis, ut volunt? cum Helleniſticam oſtendant ſine Helleniſtis, nec ullos Helleniſtas monſtrare queant, quorum ſcripta Helleniſtico ſermone ſint exarata. Quoniam autem hic tractamus de fine & interitu Helleniſticæ linguæ, qui volent eius exequiis honorem habere, qui eam amare dignati ſunt, properent accurrere, iam funus illi ducitur, iam effertur.

## *Ad Sectionem* V.

EX iis quę ad prędecentes Sectiones diſputata ſunt, tria hæc liquere exiſtimo. I. Helleniſtas non fuiſſe Iudæos origine. II. Nullos olim Iudæos originarios in ſacris ſuis uſos fuiſſe Biliis Græcis. III. Etſi plerique ex Iudæis exulibus longe accuratius Græce ſciverint, quam Ebraice, nullos tamen ex iis Helleniſtas dictos unquam eſſe. Quanto quis accuratius Græce doctus fingetur Iudæus, tanto minus Helleniſta fuerit, ut Helleniſticæ linguæ minus idoneus auctor. Nam ut genius eſt, & Character linguæ Helleniſticæ, ſicut ab iis fingitur, non poteſt ab eo procudi qui Græce melius ſcierit quam Ebraice. Qui ſenſa animi ſui omnia poteſt Græce exprimere,

non

non confugiet ad Ebraiſmos, quos magis ignorabit quam Helleniſmos. Nemo autem Græce loqui ſtudens, ſi omnia enuntiare poſſit Græce, aliam advocabit linguam, eiuſque opem implorabit, cuius ſibi minorem facultatem adeſſe ſentiet. Talis hominis itaque non eſt Helleniſtica lingua, qui Græce accuratius ſciverit quam Ebraice. Eius magis erit, qui Gręcæ linguæ parvam, Ebraice vero magnam habuerit cognitionem. Is enim ſi Græce loqui tentabit, cum minus paratam habeat copiam elocutionum Græcarum, omnia prius in animo quę volet eloqui, Ebraice concipiet, eaque ut poteſt reddet Græcis quidem verbis expreſſa, ſed loquutionibus Ebraicis, quas in locum Græcarum, quæ ipſum deficiunt, ſufficiet. Sic lingua Helleniſtica, qualem depingunt, auctorem potius habere debet Græce minus ſcientem, Ebraice magis. Contrarium in hac Exercitatione faciunt: in quo ratio eos fugit. Nam Helleniſtas definiunt qui Græce accuratius quam Ebraice ſciunt. Deinceps diſpiciendum, ut eos ſequamur, cuius indolis fuerit lingua Græca qua uſi ſunt Helleniſtæ. *Incomparabilis*, inquit, *Scaliger, politiſſimuſque Heinſius, eam Helleniſticam vocant, quod Ebræos idiotiſmos phraſeſque verbis Græcis exprimeret.* Vel

 ex

ex his elogiis liquet, Heinſium eſſe qui Exercitationem hanc ſcripſit. Si aliquis ex eius fautoribus aut adſentatoribus eius auctor eſſet, non tam nudo ac futili elogio ornaret Heinſium, ſed eum Scaligero per incomparabilitatem exæquaret, vel Phœnicem appellaret, vel facile principem eruditorum ſæculi ſui. Quia de ſe loquitur Maximus Heinſius, pro modeſtia, quam à natura inſitam habet, à doctrina promotã, ſatis ſibi à ſe dari putavit, ſi ſemet ipſum appellaret politiſſimum. Quid enim poterat minus ? Sed immodeſtum mallem, quam mendacem. Falſiſſimum quippe eſt, à Scaligero ita definiri linguam Helleniſticam, qui nec eius nominatim meminit. Strenue impudentem eſſe oportet, qui ſic publice mentiri non vereatur. Solus ergo non minus ingenuus quam ingenioſus Heinſius ſine duce Scaligero, nec comite, Helleniſticam eam vocat, quæ verbis Græcis exprimit eloquutiones Ebræas. *Salmaſio*, inquit, *ſecus videtur, qui nullam differentiam exiſtimat interceſſiſſe inter Græcam linguam qua Helleniſtæ utebantur, & eam quæ vernacula erat cæteris Græcis.* Et merito ille ſane ita cenſuit. Nec enim Helleniſtica ulla lingua eſt quæ ab Helleniſtis nomen inveniret ; ſed Helleniſtæ contra dicti ſunt ab

ab Ἑλλήνων lingua qua utebantur, quia loquebantur Ἑλληνιστί. Si qua eſſet Helleniſtica lingua, à lingua Hellenum, ſive ἑλληνιζόντων, ſive Ἑλληνιστῶν diverſa, qui eam uſurparet, diceretur ἑλληνικιστὴς, ut Ἀττικιστὴς vocatur, cui lingua Attica uſitata eſt. Ergo Ἑλληνιστὴς appellandus, non qui ἑλληνιστικῇ, nã is deberet dici *Hellenicista*, ſed qui Ἑλληνίδι lingua utitur. Nulla igitur differentia inter Ἑλλήνων linguam, & Ἑλληνιστῶν. Græca quippe eſt utriſque communis. Differunt tamen Ἕλληνες, & Ἑλληνισταὶ, non lingua, ſed origine: illi Græci generis & ortus ſunt, iſti cuiuſcunque. His tam certis tamque claris eſt quod opponit politiſſimus, ut ipſe ſe vocat, Heinſius. Conſiderandum proponit, Gallos, Britannos, Italos, alioſque exteros, uſu patrium Belgarum idioma addiſcentes, ut ut Belgicum ſermonem imitari ſtudeant, verba tamen Belgis uſitata, convertere ad phraſes vernaculas, vocique Belgicæ eamdem aſſignare ſignificationis latitudinem quam habet patrii idiomatis vocabulum illi reſpondens. Fateor, hæc ita eſſe ut dicit, nihil hic mentitus eſt. Sed ipſe fateatur oportet, hoc illis accidere ſolere, qui non perfecte didicerunt linguam Belgicam. Secus eſt, cum quis ſic conſummatam eius linguæ hauſit

cognitionem, ut nihil mutuari cogatur ex propria lingua. Rari ſunt tales: eſſe tamen, vix dubium. Multos novi Belgas, ita Gallice loquentes, ut facile appareret ex loquutione, non eſſe Gallos naturales. Tales ſunt fere omnes qui *Wallones* vocantur. Pleroſque autem videre eſt è Belgis, adeo exacte callentes noſtram linguam, ut vix dignoſci poſſint à Germanis Gallis. Novi aliquando Lutetię Pariſiorum, & miratus ſum, Belgam unum, illuſtrem virum, cum ibi legatũ ageret Ordinum, ita Gallice loquentem ſcribentemque, ut cum aulicis ipſis contenderet. Plures huiuſmodi reperiri, non ambigo. An putandum eſt ita male loquutos eſſe Græce omnes Helleniſtas, ut nihil proloqui poſſent ſine Ebraiſmis? Nulline fuerunt ita Græce docti, ut pure ἑλλωίζειν potuerint? Sic duo ergo genera Helleniſtarum erunt conſtituenda, Græce cum puritate loquentium ſine Ebraiſmis, alterum cum Ebraiſmis. Duplex quoque ſic fuerit lingua Helleniſtica, altera pura & ab Ebraiſmis impolluta, altera Ebraicis idiotiſmis vitiata. Prior illa ergo eadem erit cum Hellenica & Græca. At cur hæc poſterior magis dicenda eſt Helleniſtica quam prior, cum ſit potius ἀνελλώιςος? Exterorum Belgice loquentium duplex quoque genus numere-

meremus. Unum puta Gallorũ, ſic Belgice loquentiũ, ut ſubinde Gallicos admiſceant idiotiſmos: alterũ puro Belgico ſermone id quod velint exprimentiũ. Quo nomine vocanda erit dialectus illa Belgica Galliciſmis inquinata? Si ſequimur exemplum ab Helleniſticario propoſitũ, aliqua appellatione diſcerni neceſſe eſt Belgicam iſtam purã ab illa impura. *Etenim*, inquit, *hæc ratio, deſumpta ab experentia omnium ſæculorum, Iudæis aliiſque Orientalibus populis Græce ſcientibus, nõ* Ἑλληνικὴν, *ſed* Ἑλληνιστικὴν *linguam aſſignandam eſſe ſuadet*. Contrarium verum eſt. Parũ quippe ſuadet hæc ratio deſumpta ab experientia omnium ſæculorum, diſcernendam eſſe tali appellatione linguam exterorum Græce ſcientium ab ipſis, & quam naturales Græci norunt. Quid ſi illi exteri, ut Iudæi & alii Orientales, Græcam linguam ita exacte edocti ſint, ut non differant puritate ſermonis ab ipſis Græcis naturalibus, an erit diſtinguenda hoc nomine eorum lingua à lingua Græcorum naturalium? Non puto. Ergo ſolus ſermo impure ſe exprimentium, & Græcæ orationi admiſcentium patrios idiotiſmos, Ἑλληνιστικῆς fuerit appellatione donanda? Atqui ratio quam deſumpſit à Belgis ſuis, quorum idioma cum quis ita Gallus addidicit, ut verbis Belgicis Gal-

licas

licas phraſes concinnet, neutiquam hoc ſuadet. Non enim docet, diſtinctam eſſe peculiari appellatione idioma Belgarum ab idiomate Gallorum Belgice loquentium. Non reſpondet ergo ratio, nec exemplum ad rem facit. Sic neutro ſuademur id quod nobis vult perſuadere. Notandum præterea, quod ait, Iudæis, aliiſque Orientalibus, Græce ſcientibus, aſſignandam eſſe linguam, quæ vocari debet Ἑλληνιϛική. Iuxta hoc effatum γιγαντιαίȣ κελικȣ͂, non ſolum pro *Helleniſtica* habenda ſit quæ Ebraiſmos habet, quæ eſt Helleniſtica Iudæorum, ſed etiam quę Perſiſmos, quæ Arabiſmos, alioſque reliquarum Orientalium gentium idiotiſmos. Nec hoc privilegium habebant ſolę Orientis nationes, ut Græce apud eas ſcientium idioma Ἑλλωνιϛικῆς appellationem mereatur. Nonne id etiam aſſignabimus Occidentalibus? Quid Romanæ fiet, ſi non & hoc illi dederimus? Sane dandum eſt. Et digna eſt pro maieſtate ſua, ut hoc idem ei non denegetur. Ergo Romanus olim Gręce loquēs, ſi Ῥωμαϊσμȣ̀ς aut Latiniſmos intexuiſſet peplo Græci ſermonis, propriam & peculiarem condidiſſet Helleniſticam. Et parum abeſt, quin Helleniſtica Novi Teſtamenti multum habeat ex hac Helleniſtica Romana. Nam non ſolum

ſolum multas habet loquutiones à Romanis mutuo ſumptas, ſed etiam plurimas voces inde petitas. Sic Novi Teſtamenti Helleniſtica mixta erit ex Græca & Latina Helleniſtica. Dicamus amplius: Si Ebraiſmi, Perſiſmi, & Arabiſmi, ac Latiniſmi, faciunt ſinguli ſuas ac proprias ſibi Helleniſticas, non conſiderato linguæ ipſius corpore, quod verbis Græcis contextum eſt, omnia idiomata quæcunque fuerint, quibus intexta erunt alterius linguæ phraſes, omni modo debebunt *Helleniſticæ* nominitari. Ut ecce Belgicum idioma cum Gallicis idiotiſmis, nomen Ἑλληνιστικῆς ſortiri debebit. Et neſcio, an non hoc voluerit Phœnix, cum pro ratione, qua id compellemur credere, exemplum è Gallis Belgice ſcientibus, & Gallicismos miſcentibus, attulit, ut ſuadeamur, Ἑλληνιστικὴν eſſe aſſignandam omnibus Orientalibus Græce ſcientibus, non Ἑλληνικήν. Niſi ſic intellexit, non valebit exemplum, & ratio erit ἀλόγιστος. Quis non ad hæc obſtupeſcet doctus, cum tantum ſciet eſſe Helleniſticarium? Sed maneamus in Græca Helleniſtica. Plurimi in Bibliothecis extant ſcripti manu libri à Græcis recentioribus ex Arabico verſi, Medici, Hiſtorici, Philoſophici, & Mathematici. Medicos legi non paucos,

qui

qui Arabiſmis toti oppleti ſunt, voceſque Arabicas continent non paucas. Simeonis Sethi liber de facultate alimentorum Græce editus eſt, quem ex Arabico converſum eſſe, frequentes Arabiſmi voceſque plures immixtæ Arabicæ, non ſinunt eũ dubitare, qui vel mediocres in illa lingua progreſſus fecerit. Tranſtulit idem Simeon magiſter librum Moralem ex Arabico, qui primum tranſlatus eſt ex Indico in Perſicum, deinde ex Perſico in Arabicum. Simeon ultimo in Græcum vertit, ſervaturque in multis Bibliothecis, & refertus eſt Arabiſmis, ut facile intelligent, qui vel de primoribus labris eam linguam deguſtarunt. Chryſococcos ſcripſit Græce Tabulas Mathematicas, in quibus inter alia tractat de anno Arabico, & Perſico: quem librum ex Arabico, aliquo auctore, tranſlatum eſſe in Græcam quæ tunc vigebat linguam, paſſim interſertæ Arabicę loquutiones indicant. Omnes illi libri, ita Græce ſcripti, & Arabiſmos redolentes, ſi Helleniſticarios novos audiamus, lingua Helleniſtica confecti eſſe dicentur. Infelicia & inſcita tempora, tam horum recentium Græculorũ, quam illorum veterum, qui neſcierunt quo nomine eſſet appellanda lingua qua libros ſcribebant! Nuſquam enim memi-

meminere, nec Helleniſtarum, nec Helleniſticæ linguæ. Pergamus adhuc ulterius, & promoveamus pomeria linguę Helleniſticæ, ditionemque eius dilatemus. Si capax eſt Helleniſtica omnium idiotiſmorum: ſi Helleniſticum eſt idioma, omnis ſermo vel ſcriptio, quæ ex alia lingua vocabula mutuatur, ex alia phraſes: omnes verſiones ex aliqua lingua in aliam de verbo ad verbum expreſſæ, nomen gerent Helleniſticæ. Omnes peregrino ſermone utentes, & patrii idiomatis loquutionibus præ ignorantia eum temperantes, loquentur Helleniſtice. Sed ne recedamus à Græca Helleniſtica. Novi Teſtamenti dictio, ut noſtris placet Helleniſticariis, plane eſt Helleniſtica. Græca quidem eſt, ſed Ebraiſmis, quaſi polymitarium opus, picta. Si Græca, alia detur quæ pro Ebraiſmis Latiniſmis ſparſa ſit, an non pro Helleniſtica habebitur? Nihil dignum approbatione doctiorum afferent Helleniſticarii, ſi contendant, ſolos Ebraiſmos Helleniſticam facere. Talis autem Græca vulgaris, quæ in uſu fuit ſub imperio Conſtantinopolitano. Imo imperii Græca multis etiam Arabiſmis farta eſt. Nam apud Hiſtoricos illius ævi, quo iam Arabes magnam imperii Græci partem peſſumdederant, paſſim legere

eſt,

eſt, δύο τρία ὀνόματα, pro tribus aut quattuor perſonis. Quod Arabicum eſt. Antiquior Gręcia Romano-Conſtantinopolitani imperii, τρία πρόσωπα ſolebat magis dicere, Phraſi Latina, id eſt, tres perſonas. In auditoriis Græcis hæc vox, tempore Phrynichi, invaluerat, ex Romana iuriſdictione, de partibus litigantibus. Quod Græcum non erat, ſed prorſus ἀνελλήνιςον. Huiuſmodi Latinis qua vocibus qua loquutionibus Græca commixta, merito Hellenisticæ nomen ſibi vindicabit. Nec effugere poſſunt Helleniſticarii, quin æque bono iure Græca vulgaris appellationem invadat Helleniſticæ, Latiniſmis aliiſque Barbariſmis contaminata, quam Græca Novi Teſtamenti cum ſuis ſibi Ebraiſmis Syriaſmiſque. Nec de vulgari loquor, quæ hodie in Barbariem penitus degeneravit, toto corpore linguæ corrupto, & quaſi tabe infecto in ipſis verborum nominumque terminationibus. Nicetæ Hiſtorici tempore, qui ſub Andronico vixit, & res eius ſcripſit, adeo diverſa fuit vulgaris Græca illius ævi ab antiqua, ut duplex volumen Hiſtoriæ conſcripſerit utraque lingua, Græco-Barbara, quæ tunc vigebat, & antiquiore, quæ ab uſu tunc receſſerat. Volumen Græco-Barbara ſcriptum in Bibliothecis reperitur.

tur. Hanc igitur à nobis accipiant Helleniſticam pro ea quam dedere nobis. Cur enim nobis licere nollent quod ſibi licitum volunt? Nec ægre puto ferent, aut invidebunt, ſi & ipſi eorum opera & doctrina adiuti, iiſdemque principiis inſiſtentes, rationibuſque uſi paribus, produxerimus Helleniſticas tam bonas quam ſunt quas procuderunt. Ad eorum Helleniſticam redeamus, quã nos ipſis non eripiemus, modo noſtram nobis relinquant, Græcam nempe vulgarem. Nemo inquient veterum ſic eam vocavit. Quis veſtram ita appellavit? *Mitto*, inquit Heinſiades, *quod libri à Iudæis ſcripti idem evincunt*. Quid evincunt? Fuiſſe eo temore Helleniſticam in uſu? Quinam illi Iudæi? Quorum Iudæorum libri? An Novi Teſtamenti? An Apoſtolorum Epiſtolæ? Atqui nec illi Helleniſtæ fuere, ſi definitioni ſtamus Helleniſticariorũ. Hæc autem apud ipſos relata ſunt, Ἑλλωιστὴς & Ἑλληνιστικὴ lingua. Nõ alia enim per hanc λέξιν intelligitur Helleniſtica, quã cuius auctores ac patres ſint Helleniſtæ. Apoſtoli ac diſcipuli Chriſti non fuere Helleniſtæ. Ergo. Vides quid ſequatur. Proferat, ſi poteſt, alios Iudæos, quorum libri Helleniſtica ſcripti ſint. Sequitur apud eumdem, qui Criticæ nobilitatis decus

 aluit.

aluit. *De* LXX. *interpretum verſione nemo paulo humanior inficias ibit.* Ego non ſum de illis humanioribus, nec minus inhumanus eſt Salmaſius. Nam ſtrenue inficias ibit, & ego cum illo, verſionem ſeptuaginta interpretum Helleniſtica dialecto, ſic proprie dicenda, eſſe conſcriptam. Humanum autem puto, negare quod humano more non poteſt probari. Fanaticis & ægris ſomniantibus non opis eſt noſtræ credere. *Quia laborabant*, inquit, *Ebræa perfectiſſime reddere, non tantum ſanctæ linguæ idiotiſmos in Græcam linguam tranſtulerunt, verum in vertendo ea dialecto uſi ſunt quæ Synagogæ familiariſſima erat.* Helleniſticam non eſſe eam verſionem, vel unico argumento poſſumus revincere, quod Helleniſtæ non fuerunt illius auctores. Synagogæ membra erant Ebraicæ. Ebraice tam accurate quam Græce ſciebant. Quibus duabus notis, vel Characteribus, carent qui vere Helleniſtæ vocantur noſtris Helleniſticariis. Quod de perfectiſſimo vertendi modo dicunt, dubitari poteſt an verum ſit. Notum illud Horatianum: *Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres.* Si ubique ſenſum ipſum, non verba, reddere contendiſſent ſeptuaginta interpretes, quis neget quin perfectiorem edidiſſent tranſlationem? Cæteris paribus,

quæ

quæ ſenſum fideliter per omnia expreſſit, felicior meliorque cenſenda, quam quæ nimium ſe verbis alligat. Perfectiſſimæ quæque Græcorum auctorum verſiones, à verbis recedunt, & mentem tantum auctoris exacte expreſſam præferunt. Dicat igitur nobis ſummus ille, vir cum quo nobis res eſt, ſi placuiſſet illis ſeptuaginta, verſionem dare tam phraſibus quam vocibus perfecte Græcatam, quæ tamen Ebraice ſcripturæ ſenſum perfectiſſime reddidiſſit, an Helleniſticam eam tranſlationem putarent, & Helleniſtica dialecto exaratam? Certum eſt, non hanc habendam illis fuiſſe pro Helleniſtica. An non potuerunt edere talem? Non hoc dixerint. Quod igitur in pleriſque verbum verbo reddere in vertendo laborarunt, an huiuſmodi verſio de verbo ad verbum expreſſa linguæ Helleniſticæ appellationem, ut proprie ad ſe pertinentem, adoptabit? Fingamus, non Helleniſtam aliquem Iudæum, ſed Chriſtianum ſi forte, aut etiam gentilem ex Græcia oriundum, qui Ebraice noſſet, operam navaſſe vertendæ ſcripturæ: ſi ſimiliter, ut ſeptuaginta, verbum verbo reddidiſſet, & idiotiſmos Ebraicos retinuiſſet, an eius verſio Helleniſtica foret dicenda? Quid ſi Origeni hæc cura inceſſiſſet, ut erat Græce Ebraiceque

doctiſſimus, an non alterutro modo potuit ſcripturam transferre, verbum de verbo exprimendo, aut ſenſum tantum reddendo? An hoc modo exiiſſet verſio *Hellenica*, illo *Helleniſtica*? Sic placeat Helleniſticariis. Atqui Origenes qui talem Helleniſticam dediſſet verſionem, nec Helleniſta fuit, nec Iudæus: Non igitur ille idoneus auctor Helleniſticæ, qui tamen potuiſſet Helleniſticam, ſi vellet, interpretationem Bibliorum elaborare. Nemo ſane non poſſit ſic, qui Græce & Ebraice ſciat, Ebraicum ſcriptum ad verbum vertendo, *Helleniſticæ* firmare dialecti verſionem. Duæ extant paraphraſes Arabicæ Pentateuchi. Una Saadiæ, plane ἀραβίζουσα, qua auctor ſenſum Ebraicum tantum curavit exprimere. Altera incerti auctoris, quem edidit Erpenius, per omnia Ἑβραΐζουσα, quia idiotiſmos Ebraicos conſervavit. Utra ex his Ἀραβικωτέρα? Certe quæ per omnia Ἀραβίζει. Ergo Ἀραβιστικὴ potius eſſet appellenda, quam illa altera, τῇ φρασιολογίᾳ Ἑβραΐζουσα. An aliud debet de Gręcis verſionibus pronuntiari? Si qua fuit Ἑλληνικωτέρα, quæ ſenſum potius referre quam ſe verbis aſtringere ſtuduerit, ut magis Ἑλληνίζουσα quam quæ verbum verbo redderet, an non etiam Ἑλληνιστικὴ maiori ratione vocanda? Aquila in verſione ſua

ſua magis enixe laboravit Ebræa pæne ad verbum exprimere. Ut hoc melius ipſi procederet, Græca etiam verba confinxit, quibus melius preſſiuſque exprimeret vim Ebraicorum, ut quaſi effigiem eorum χαραϕικώτερον repræſentaret. Cui dubium eſt quin eius verſio magis videri debeat Ἑβραΐζουσα quam illa τῶν ſeptuaginta? An, quia minus etiam Ἑλληνίζει, quam ea τῶν ſeptuaginta, nomen Ἑλληνιστικῆς ex merito magis poſſidebit? Tantus Græciæ Atlas, ut eſt generoſus Heinſiades, ita ne potuit, aut in poſterum poterit ſentire? Melius certe de eius iudicio incomparabili ſentio. Aut imperitia eſt, aut voluntas auctoris, quæ verſiones de verbo ad verbum dat. Qui Græca concilia primi verterunt, qui verſionem Latinam ex Græco ſeptuaginta expreſſam dederunt, quam Hieronymus correxit, multa hoc modo peccaverant. Græciſmos plures reliquerant, quia non melius poterant ſe Latine exprimere, in utroque pariter ſermone inopes, impoteſque tam eius ex quo transferebant, quam eius in quem. Quæ μοσχεύματα ſeptuaginta dixerant, reddiderunt *vitulamina*. Quia μόσχος Græcis & vitulum ſignificat, & ramulum ſive ſtolonem. Interpres Irenæi vetus ubique Latine græciſſat, præ imperitia nimirum Latini

ſermonis, fortean & Græci. Nam & Græca ſæpe male interpretatus eſt. Septuaginta interpretes ex ignorantia & inopia Greci ſermonis ſervaſſe idiotiſmos Ebraicos in ſua verſione, non poteſt dici. Volentes ergo hoc fecerunt, quod imperitis excidit nolentibus. Ut quis igitur de verbo ad verbum imperitus expreſſerit, aut peritus exprimere voluerit, auctorem quem vertendum ſuſceperit, ſtatim nova exibit dialectus, aut *Helleniſtica*, aut alia quocunque nomine! Credat id Iudæus Apella, vel Helleniſticarius fanaticus, non ego. Videt hoc gigantis Heinſiadæ catum corculum, non poſſe nimirum conſtare dotem filiæ ſuæ, dialecti Helleniſticæ, ſi penderet ab idea verſionis pendentis ab arbitrio aut ignorantia interpretis ſui. Ideo ſeptuaginta interpretes hic ait *in vertendo ea dialecto uſos eſſe, quæ Synagogæ familiariſſima erat*. An Synagogis Iudaicis ante verſionem τῶ LXX. familiaris fuit ea dialectus quæ Græcis verbis miſcebat loquutiones Ebraicas? Unde dialectus Synagogæ ulli tunc nota? Si Ebraice ſciebat Synagoga, non opus habebat interpretatione Græcanica. Si neſciebat, interpretatio eiuſmodi, quæ phraſim Ebraicam verbis Græcis exprimeret, vix & ne vix quidem ipſis eſſet intellecta, Græce

ce tantum, non etiam Ebraice ſcientibus. Nulla tum Synagoga fuit quæ lectione Græca ſcripturarum uteretur. Omnes Ebraice legebant. In unaquaque Synagoga ſcribæ & doctores legis interpretabantur populo ſcripturas, ea lingua quæ familiaris erat nationi cuius erat illa Synagoga Iudæorum, qui eius nationis pars erant, & in illa regione vivebant. In Syria, Syriace eam interpretari ſolebant, quia Syriæ Iudæi linguam illam capiebant. In Babylonia, Babylonice, id eſt, Chaldaice. In Parthia, Parthice. In Perſide Perſice. In Italia, & Romæ, Latine. Ergo & in illis regionibus in quibus uſus erat linguæ Græcæ, Græcanice. Hoc eſt, in Græcia. At in Græcia nullibi ei dialecto locus fuit quæ Græco-Ebraica eſſet. Fateor, potuiſſe aliquos ſi forte Helleniſtas, verſionem ſeptuaginta aſſidue terendo, ſtylum ſimilem inde ſibi facere, ex continua lectione contractum. Sed hòc non potuit eſſe antequam verſa ad eum modum eſſent Biblia. Fanatica igitur perſuaſio, ſeptuaginta ſeniores ideo vertiſſe ſcripturas Græco-Ebraice quia ea dialectus eſſet familiariſſima Synagogæ. Cui Synagogæ? An Græcæ? Hæc verſio non eſt mere Græca? An Syriacæ? Græca potius hæc interpretatio quam Syriaca. An

Romanæ? Nihil habet à Latinis ſumptum. An Arabicæ? Omnino ab ea lingua aliena eſt. An Perſicæ? Nihil in ea Perſici eſt. Demonſtret nobis Helleniſticarius, quod temere effutiit: tum fidem ei noſtram obligabimus. Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt. Amor Helleniſticæ, pulcræ fœminæ, inſanire eum cogit. *Siracides*, inquit, *à nepote Ieſu ſub Euergeta converſus, fidem quoque facit*. Cuius rei fidem facit? An Helleniſticam tunc in mundo fuiſſe, formoſam pupam, delirium Helleniſtarum? Omnis igitur verſio de Ebraico in Græcum, idiotice & barbarice curata, linguæ Helleniſticæ nomen induet? Multis, ut res eſt, nupſit iſta puella. Siracidem illum Græce verſum eſſe, non Helleniſtice, ſcribit Epiphanius. Addit Amaſius eius & carus amicus: *unde & quidam Helleniſticæ minus gnari eum ϐαρϐαρικώτερον eſſe iudicarunt*. Quidam, inquit, minus gnari. Qui ſunt iſti quidam, quibus minus nota eſt tantæ celebritatis virago, quam illo in tempore omnes Orientales συνεκρότησαν ἐν μέρει? Mirum ſane, hodie quibuſdam poſſe ignorari. Sed adiicit, qui miſellam Helleniſticam tot annos latentem primus è tenebris eruit: *Quæret*, inquit, *quis, an ea dialectus commode Helleniſtica vocetur?* Merito ſane hoc quæreret. Si vocatam olim

ſic

ſic ſciret, non hoc quærendum eſſet. Reſpondet, quaſi ex adyto oraculum, *Omnino ſic poſſe vocari. Ea enim, inquit, utebantur in commerciis, & in ſacris, qui in Novo Teſtamento* Ἑλληνισταὶ *vocantur.* Quis Helleniſta hoc illi dixit? An ſomniavit? Si Helleniſtica lingua vocari debet qua utebantur Helleniſtę, *Atticiſtica* vocanda eſt quam uſurpabant Atticiſtæ. Atqui eorum lingua erat Attica. Ergo & Helleniſtarum, Ἑλληνὶς, non Ἑλληνιστική. An ſoli Helleniſtę ea utebantur? Ecce tamen, diſcipuli Chriſti qui non erant Helleniſtæ, ſed αὐτόχρημα Ebræi, ea lingua libros & Epiſtolas ſcripſerunt, quam iſti vocandam cenſent Helleniſticam. Sed procedendo tandem venimus ad cardinem quæſtionis, an ea dialectus cum hoc nomine alicui vetuſtorum ſcriptorum cognita aut memorata fuerit. Ultro dant, non meminiſſe eius veteres. Quid amplius volumus? Aut quid ipſi amplius nobis ob os eam linguam ventilant, quam fatentur ignoratam de nomine antiquis. Non tamen id ſuo ſomnio obſtare putant, & vigilantes adhuc in manibus ſe tenere credunt, quod ſomniantes tenebant. *Nec quid ad rem facit*, inquit, *quod nemo ex vetuſtis ſcriptoribus ſic dialectum hanc vocavit.* Immo multum facit. Magnum enim hoc argumen-

tum, non fuiſſe ulli antiquorum notam hanc dialectum, quam nemo ex his nominavit. *Sufficit, conſtare, eam fuiſſe peculiarem Iudæis Helleniſtis.* Sufficeret, ſi id conſtaret. Sed non ſibi conſtant qui hoc tam conſtanter affirmant. Non poſſunt ſane rationem reddere, cur lingua peculiaris Iudæis Helleniſtis, & quæ in fama eſſe, & proinde omnibus eruditis antiquioribus innotuiſſe debuit, ne nomine quidē tenus ipſis cognita fuerit. Quid enim tam inauditum toti antiquitati, quam iſta Helleniſtica lingua, quæ hodie ſuos inventores, amatores & admiratores invenit? Mirum, & pluſquam mirandum, ne tenuem quidem auram huius dialecti afflaviſſe tot patres Græcos Bibliorum interpretes, ex quibus contextæ Catenæ in ſacræ ſcripturæ omnes libros extant: Hieronymum, Græce pariter Ebraiceque peritiſſimum, & qui in Iudæa magnam vitæ partem exegit; qui tot in ſcripturam commentarios edidit; cui Iudæi illi Helleniſtæ maxime noti cum eorum lingua eſſe debuerunt; nuſquam nec *Helleniſtarum* Iudæorum, nec *Helleniſtica* linguæ meminiſſe. Alexandria præcipue plurimos ex his Iudæis Helleniſtis videtur habere debuiſſe. Nam in ea urbe maxima Iudæorum frequentia fuit, Ebræorum Helleni-

leniſtarumque, ſi ulli fuere ab origine Iudaica hoc nomine. Origenes in Alexandria diu vixit, docuit. Si Helleniſtica ulla lingua ibi floruiſſet, ab ſuis auctoribus Helleniſtis ſic nuncupata, non eam ignoraſſet. Hæc cum ita ſint, quomodo conſtare poteſt, eis, qui nunc demum, poſt tot ſæcula, omnibus ſæculis incognitam ſuſcitarunt, eam fuiſſe peculiarem Iudæis Helleniſtis? Addit vir fallere neſcius, nec falli: *Omnes eruditos uno ore fateri, eam linguam utramque paginam facere in verſione* LXX *interpretum*. Mentitur hic tamen magnus auctor. Non enim omnes eruditi id fatentur. Si enumerarem qui negant, haud pauciores invenirentur affirmantibus. Omnes eruditi antiquitatis, dum nomen eius linguæ tacent, ſic ſatis clamant, non fuiſſe. An huius ævi eruditi doctiores hac in re fuerint? Videndum eſt prius, an maiorem iſti huius linguæ notitiam habere potuerint quam illi. Iudæi Helleniſtæ nunc nulli ſunt: tunc erant. Helleniſtica lingua in uſu eo tempore fuit, hodie non eſt. Melius itaque certiuſque veteribus illis eruditis pronuntiare licuit, quę fuerit Helleniſtica lingua, & an fuerit, quam iſtis novitiis. Sciunt hodierni eruditi, nec antiqui neſcierunt, innumeros in verſione LXX. interpretum eſſe Ebraiſmos, & in ſingulis paginis

occur-

occurrere non paucos , qui totidem ſunt Barbariſmi. Quæ λέξις βαρβαρίζω, certum eſt, eam minime ἑλληνίζειν. Nam τὸ βάρβαρον, id quod eſt, ἀνελλήνιστον vocant veteres Critici, & in his diſerte Phrynichus, cui opponunt τὸ ἑλληνικὸν & ἑλληνίζον. Unde & Athenæus lib. VI. notat, τοὺς ἑλληνίζοντας, id eſt, politius Græciſſantes, ἀργυροῦν κόσμον vocare, quæ ſunt minus politis Græcis, hoc eſt, ἰδιωτικῶς loquentibus, τὰ ἀργυρώματα. Si ad hanc normam exigantur pleræque dictiones in ſeptuaginta interpretibus, nihil minus erunt quam τῶν ἑλληνιζόντων. Multo magis ſi Ebraiſmi & Syriaſmi, qui apud eos frequentes ſunt, ſpectentur. Pro totidem Græci ſermonis Barbariſmis eos computaſſe Criticos antiquos, vero eſt verius. Critici hodierni pro Helleniſmis numerant, & orationem, in qua quaſi ſtellulæ intermicant, *Helleniſticam* vocitant , quæ mihi ac Salmaſio, cæteriſque ſanioris iudicii, *Barbariſtica* potius videtur appellanda. Sic tamen eam nuncupare, ius faſque eſſe contendit vir in litteratura Helleniſtica ſummus, & Horatii monitu vel dictato ſe tuetur, qui edixerit:

*--- licuit, ſemperque licebit,*
*Signatum præſente nota procudere nomen.*

Sed videndum, an præſente nota ſignatum hoc

hoc ſit nomen τῆς Ἑλληνιστικῆς, quod nunc procudunt. Certe ſi *præſente nota* intelligunt, hodie & in præſenti tempore nomen procuſum, omnino vicerunt. Quid vero ſi Horatium non intelligunt? Profecto quod ille dicit, & quod iſti faciunt, non eadem orbita incedit. Nummi novi cudendi, & novi nominis fingendi, parem ille rationem eſſe vult. Niſi utrumque præſente nota ſignetur, recipi non debet. Quid præſens eſt nota in nummo? ὁ προσχωρῶν χαρακτὴρ, vultus nimirum viventis principis, qui nummo impreſſus, efficit, ut recipiatur. Hodie Ludovicus XIII, Rex Chriſtianiſſimus, præſens nummi nota eſt, ut ætate Horatii Octavius Cæſar Auguſtus. Si quis hoc tempore in regno Franciæ recens formatos nummos aureos promeret effigie Henrici quarti ſignatos, refutarentur, & pro adulterinis haberentur, quia non eſſent præſente nota percuſſi. Veteres hoc vultu notati probantur. Sed recentes nummi ſemper ſignari debent *Nota præſente*, hoc eſt, viventis principis effigie. Ad hunc modum cum nova nomina finguntur, ut adprobentur, *præſentem notam* præferre debent. Ut vultus principis, nota eſt nummi, ita Analogia & ratio nominum. Si quæ de novo formantur, ex analogia debent procudi verborum

uſu

uſu in præſens receptorum, non exoletorum. Exempli gratia, in uſu eſt *Teſtimonium* à teſte: *Sanctimonium* à ſancto: *Vadimonium* à vade. Si velim eo modo à Mœcho formare *Mœchimonium*, ex analogia eorum quæ dixi nominum, id facere licebit. Et ita olim novum hoc vocabulum finxit Laberius. Cum eo uſus eſſet Salmaſius in quodam ſcripto, Theologus novitatem & inſolentiam vocabuli ei obiectavit. Atqui *præſente nota* procuſum illud vocabulum, & habet τ̃ προχωροῦντα χαρακτῆρα. Alia ſunt, quæ facile agnoſcas eam notam non habere, etſi prima fronte id videatur. Media Latinitas dixit *Meridionale* pro *Meridiali*. Quare? Quia *Septentrionale* dicebatur. Hæc videbatur præſens nota. Non erat tamen. Nam *Meridio Meridionis* non dicitur, ut *Septentrio Septentrionis*. Sic *Tremiſſem* nummum pro triente dixerunt, ut *Semiſſem*. Id caret ratione, & præſentem notam non habet. Nam *Tremiſſis* non erat in uſu pro triente, ut *ſemiſſis*. Nummus eſt ſono bonus, non nota. Hoc igitur eſt quod dixit Horatius, *licere & ſemper licuiſſe præſente nota nummum procudere*. Ad huius præcepti normam, & obruſſam, exigamus, an τ̃ς Ἑλληνιστικῆς nomen firmatum ſit. Dialecti nomen eſt. Videndum, an ulla dialectus hanc for-

mam

mam habeat. Ἀττικὴ, vel Ἀτθὶς. Ἑλληνὶς, vel Ἑλληνική. Δωρὶς, vel Δωρική. Αἰολὶς, vel Αἰολική. Ἰωνὶς, vel Ἰωνική. Ἑβραῒς, & Ἑβραϊκή. Λακωνικὴ, Ἐρετρικὴ, Κρητικὴ, & ſic omnes. Nulla terminationem hanc præfert qualem ἡ Ἑλληνιστική. Nullam itaque analogiam nominis dialectis imponi ſueti exhibet. Non præſente ergo nota ſignatum eſt. Præterea rei cui impoſitum eſt nullo modo convenit. Orationi βαρβαριζούσῃ accommodatur, cum notionem habeat τῆς Ἑλληνιζούσης. Denique non licet ὀνοματοποιεῖν in his linguis quæ oblitteratæ ſunt ac deſitæ, quas mortuas vocamus. Res omnes quas habuere cognitas illæ linguæ, ſuis nominibus ſignatas poſteritati tranſmiſerunt. Si quid ipſis incognitum fuit, nec nomen eius noverant. Magnum itaque argumentum Ἑλληνιστικῆς veteribus Græcis ignoratæ, appellatio eius eiuſdem ignorata. Græcis feliciter audacibus, & licentius hoc uſurpantibus, melius ceſſit fingendorum nominum ratio quam Latinis. Sed permiſſa illis ea fœlix licentia, cum lingua eorum viveret ac vigeret. Qui ſibi licere nunc volunt has nominum fictiones, Græcine ſunt, an Romani? Si Romani, cur quod illi antiqui nunquam ſibi permiſerunt, iſti tam confidenter ſibi licere volunt? *Parricidam* vocarunt

qui

qui patrem occidit. Poterant ſic *matricidam* firmare qui matrem. At noluerunt. Nam, ὀνοματοποιΐα, inquit Romanus Rhetor, *Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur.* Addit ibidem ſtatim: *Deinde tanquam conſummata ſint omnia, nihil generare audemus ipſi, cum multa quotidie ab antiquis ficta, quotidie moriantur. Vix illa quæ παρηγόμενα vocant, quæ ex vocabulis in uſum receptis quoquo modo declinantur, nobis permittimus.* Si eo tempore ficta potius ab antiquis moriebantur & intercidebant, quam de novis fingẽdis cogitarẽt, quid nunc fiet, ubi tota lingua mortua eſt, tam Romana quam Greca? Debent ergo, qui in Græca litteratura ſe magnos faciunt, in his, quæ de libris hauſerunt, permanere, non nova & incognita veteribus Græcis fingere. Ut erant illi felices pariter, & audaces in confabricandis nominibus, quod apud eos, quando id cum venia poterant, non reperitur factum, cur nunc id faciendi licentiam inducimus? Et furor eſt manifeſtus, rei quæ olim non fuerit, nomen ex lingua quæ fuit, quæque rem illam non cognovit, mutuari. Multo autem intolerabilior inſania eſt, contra rationem id nomen fingere ac formare velle, non ſolum contra auctoritatem. Faceſſant ergo, qui negant, eos βαρ-

βαρίζειν

βαρίζειν Ariſtarcho, quibus dialecto aut λέξει potius βαρβαρίζούση nomen imponere placuit τῆς Ἑλληνιζούσης διαλέκτου. Sed aiunt: *ut λέξις ποιητικὴ propria & peculiaris eſt poëtarum filiis, ſic Ἑλληνιστικὴ peculiariter convenit Helleniſtis Ebraizantibus.* Sæpius urget hanc ſimilitudinem, vir Helleniſticę, quę nec eſt, nec fuit, peritiſſimus. Multa hic peccat, & nulla ſimilitudo eſt. Comparat λέξιν cum dialecto. Nam τὴν Ἑλληνιστικὴν dialectum facit, & huic adſimilat λέξιν ποιητικήν. Debuit ſimilitudinem captare ex alia dialecto. In qualibet dialecto, alia eſt λέξις poëtica, alia oratoria, alia Hiſtorica, alia etiam philoſophica. Poëta ex eadem dialecto, quam communem habet cum oratore & hiſtorico, non ſumit ubique ſimilem λέξιν, ſed propriam ſibi facit, quæ & ποιητικὴ ab ipſo nominatur. Diverſa eſt ab oratoria dictione, quam & orator peculiarē habet, quę & ab eo nomen accipit. Ἑλληνιστὴς nihil hac in re ſimile habet cum ποιητῇ. Primum non eadem utriuſque terminatio, nec nominis ratio, nec rei ulla affinitas. Deinde non vocatur ποιητὴς ἀπὸ τῆς ποιητικῆς λέξεως quæ ipſi peculiaris eſt. E cōtrario ποιητικὴ λέξις à poëta deducitur, qui eam uſurpat. Sic oratorius ſtylus ab oratore, non orator ab oratorio ſtylo. At Ἑλληνιστὴς nomen habet ab

P ipſa

ipſa dialecto qua utitur, ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος, ut hæc ipſa Ἑλληνὶς nuncupatur ἀπὸ τῆς Ἕλληνος, à Græco, cui nativa eſt talis dialectus. *Helleniſta* vero, cui non nativa eſt, ab ea nomen mutuatur. Ἕλλην primitivum nomen eſt: inde cætera verba, adverbia, nomina per παραγωγὴν deducta: Ἑλληνὶς, Græca dialectus: Ἑλληνίζειν, ea dialecto uti: Ἑλληνισμὸς, Græca eloquutio: Ἑλληνιστὴς, qui ea utitur: Ἑλληνιστὶ, Græce. Non ergo Ἑλληνιστικὴ dialectus ab Ἑλληνιστὴς formatur, ut λέξις ποιητικὴ ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ. Sed è contrario Ἑλληνιστὴς ἀπὸ τῆς Ἑλληνίδος nomen habet, quia Ἑλληνίζει, quia Ἑλληνισμῷ utitur, quia Ἑλληνιστὶ loquitur. Hæc iam ſupra attigimus, ſed hic ex occaſione repetenda, ut mille pereant mortibus cum ſua Helleniſtica Helleniſticarii. Euge, Salmaſi, hic tibi militamus, & hanc operam qualem qualem tuis conatibus addimus:

Στεφάνωσον Ἑλλάδ' ἀξίως, τήνδε κτανών,
Ἣν ἄφρονες καλοῦσιν Ἑλληνιστικήν.

Dignũ opus Herculis clava & lacertis. Nullum ille monſtrũ monſtroſius mactavit. Si Salmaſius non ſufficit, Maſageta aliquis exoriatur qui abſolvat. Sed nihil neceſſe eſt. Habet; peractum eſt. Non videt Hydra, ſe ferro ipſi, ignique occurrere, cum hic dicit, *Sic Ἑλληνιστικὴν convenire Helleniſtis Ebraizantibus.*

*tibus.* Iſti Helleniſtæ non ſunt ſimpliciter quod vocantur, ſed *Helleniſtæ Ebraizantes.* Ergo nec abſolute eorum eſt Helleniſtica, ſed Helleniſtica Ebraizans. Multum ſane differt, *Helleniſtica,* ſi ulla fuit, ſic ſimpliciter dicta, ab *Helleniſtica Ebraizante.* Aliud eſt cochlear per ſe dictum : aliud cochlear argenteum. Legato cochleari, non intelligitur argenteum. Sic *Helleniſticam* qui dixit, ſi Hellenicam ſive Græcam intelligit, nec enim de alia loqui poteſt, non deſignat Helleniſticam Ebraizantem, ſed puram & putam, quæ nihil Ebraizat. Enimvero ſi nomen huic dialecto, ſive λέξει potius, qua verſio ſeptuaginta interpretum conſcripta eſt, aptum & idoneum fingere vellem, non *Helleniſticam* vocarem, nulla quippe dialectus neque λέξις ſic vocatur ; nec Hellenicam ſimpliciter, ſed Helleno-Ebraicam, vel Græco-Ebraicam. Ita Græco-barbara vocatur hodie ab eruditis lingua Græca vulgaris, quæ tota barbariſmis contaminata eſt, atque impurata. Et quid aliud Ebraiſmi ſunt in Græca oratione, niſi Barbariſmi? Sic Gallo-Belgæ dicuntur qui utuntur Gallico ſermone cum idiotiſmis Belgicis. Sic multa alia nomina gentium compoſita ſunt ex duabus. Ut Κελτογαλάται, Κελτίβηρες, Ἑλλωισκύθαι, & alia. Hæc igitur præſens no-

 ta

ta eſt, qua ſignatum ad hanc λέξιν ſignificandam ex præcepto Horatii nomen licet procudere *Græco-Ebraicum, ſtylum* nempe ex Græcis vocabulis, & Phraſibus Ebraicis mixtum. Ita nolentes volentes vi veritatis adacti per intervalla eam confitentur aliquando qui maxime ei bellum indixerunt. Aliud argumentum Salmaſii contra Helleniſticam refert Litteratorum Nobiliſſimus Heinſius: *Res ſi fuit veteribus cognita, cum ſuo ſibi nomine cognitam fuiſſe oportet.* Quid ipſe contra opponit ad illud enervandum? Nollet ſibi excidiſſe tam periculoſam loquutionem. Quid ita? *Verentur enim, ne quis Antitrinitarius ſic aſſumeret: SS. Trinitas ἢ τριὰς, ſecundum nomen, non fuit cognita Apoſtolis, nuſquam enim voces hæ apud illos inveniuntur: ergo commentis ſunt accenſenda quæcunque hactenus Orthodoxi de SS. Trinitatis myſterio docuerunt.* Hoc etiam ipſe vererer, ſi de nomine trinitatis ſive τριάδος tantum eſſet quæſtio. De re ipſa agitur. Huius cum Apoſtoli meminerint, & diſerte à Iohanne dictum ſit, *Tres eſſe qui teſtantur in cœlo*, merito ad rem ſignificandam quæ tam ſignanter expreſſa eſt, ab Apoſtolis aptiſſimum illud vocabalum Orthodoxi patres uſurparunt. Ubi de re convenit, in nomen de facili conſenſus concurrit. Rem verba ſequuntur. Conſtat

ſtat de tribus perſonis ſuæ ὑποστάσεως in una divina eſſentia, quæ Μοναρχίαν ſic veteribus appellatam conſtituebat. Τριάδος ad eam deſignandam vocabulum, non fictum temere à Græcis, ſed in aliis rebus uſitatum, ad hanc, cui τριάδος locus eſt, tranſtulerunt. Latini *Trinitatis* nomen, vocem Græcam vertendo, à Trino finxerunt, cum analogia & ratione, & ſic præſente nota novum nomen ſignarunt. Nihil tale de Helleniſtica dici poteſt. Primum Ἑλληνιστικῆς vocabulum ſine ratione fictum eſt, & contra auctoritatem totius Græcæ antiquitatis. Deinde non de nomine tantum agitur, ſed de re. Rem non minus quam nomen veteribus incognitam fuiſſe, Salmaſius demonſtravit, ut ipſum nomen inauditum. Probet è contrario Helleniſticæ Nobiliſſimus patronus, inter Græcas dialectos aliquam fuiſſe quæ Ebraiſmos miſceret Helleniſmis: ei concedam talem dialectum vocari poſſe Ἑλληνιστικὴν. Atqui ne ſic quidē, licet de re ipſa conſtaret, hoc eſt, de tali dialecto, notam eam fuiſſe antiquis, vocanda iure eſſet, niſi liqueret, hoc nomine fuiſſe à veteribus nuncupatam. Et ſane cum vetuſtas hoc nomen ignorarit, certo certius pronuntiandum eſt, & rem ipſam ipſi fuiſſe ignoratam. Stat ergo Salmaſii argumen-

tum, & cadit quod oppoſuit Coloſſeros Helleniſticariorum Heinſius. Intorquet & aliud, quo firmet obiectionem. *Sufficere ait, τῶν Ἑλληνιστῶν apud infallibilis auctoritatis ſcriptores mentionem fieri, liquidoque conſtare, Ἑλληνιστικὴν linguam, prout à patronis definitur, iis mancipio propriam fuiſſe.* Fateor, infallibilis auctoritatis ſcriptores, quamvis unus Lucas eorum meminerit, τῶν Ἑλληνιστῶν mentionem feciſſe, ſed nego, tales eſſe, qui liquido conſtare adfirment, Ἑλληνιστικὴν linguam ab illis Helleniſtis dictam eſſe, & iis mancipio propriam fuiſſe. Quomodo oſtenderit, ab Helleniſtis dictam Helleniſticam, cum nemo veterum Helleniſticæ meminerit? Quomodo liquebit, eorum Ἑλληνιστῶν fuiſſe Helleniſticam propriam, cum ſatis conſtet, Helleniſtas non fuiſſe qui veteris Teſtamenti verſionem confecerunt, ut nec illos qui Novum fœdus conſcripſerunt? Quo iure Helleniſtica volunt eſſe iſta ſcripta quorum auctores non fuere Helleniſtæ? At qui Helleniſtę nominati ſunt, non poſſunt probare, ab illis ullum ſcriptũ manaſſe quod Helleniſtica lingua conceptum dici queat. Impropria etiam & falſa illa loquutio, ut hoc obiter notem, mancipio propriam alicui genti ſuam linguam fuiſſe. Ea tamen bis utitur ſummus auctor Latini-

tatis,

tatis, & politiſſimus Heinſius. Nihil eſt quod cuiquam nato datum ſit mancipio. Omnia utenda ſunt data, nihil proprium cuiuſquam. Non regna regibus, non ditiones populis, non poſſeſſiones privatis, non vita omnibus. Linguæ quoque variant, mutantur, corrumpuntur, intereunt. Recte Horatius:

*Vt Sylvæ foliis pronos mutantur in annos,*
*Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas,*
*Et iuvenum ritu florent modo nata, vigentque.*
*Debemur morti, nos noſtraque.*

Non nos ſolum morti ſumus obnoxii, ſed omnia noſtra, & inter illa linguæ quoque. Ubi nunc eſt illa Helleniſtica? Ubi Helleniſtæ? Ipſa Helleniſtica, ſi Helleniſtica eſt, Novi Teſtamenti, quam diverſa à verſione τῶν ſeptuaginta? Multæ in hac inſunt phraſes & voces Latinæ, quibus illa prorſus vacat. Addit ὁ εὐγλωτέστατος pro argumento validiſſimo protegendæ Helleniſticæ: *Si licuit Patribus in primitiva Eccleſia procudere vocem Trinitatis, quia à Iohanne dictum fuit:* Tres ſunt qui teſtantur in cœlo: *cur non differentiæ indicandæ ergo inter Græcas dialectos formare quoque licuit vocem* Ἑλληνιστικὴ*, ad deſignandum* Ἑλληνιστῶν *idioma?* Impia hæc comparatio Sacro-ſanctæ Trinitatis, & rei nihili, & quam in rerum natura

fuiſſe non poſſunt demonſtrare qui eius inventores ac defenſores ſunt. Nollem tam profanas voces mihi excidiſſe, qui ſum unus de capite cenſis, non de claſſicis inter eruditos. Si ſimilitudo aliqua vel umbra ſimilitudinis in his notari poſſet, quieſcerem. Vocem τριάδος non procuderunt veteres patres, ſed accommodarunt ex vero ad tres illos deſignandos quos Iohannes teſtari ait in cœlo. Ubi tres ſunt ὁμοούσιοι perſonis diſtincti, ibi omnino τριάς. Quid enim τριὰς ſive *Trinitas*, niſi Trium hypoſtaſeon ſive perſonarum numerus, eadem eſſentia præditarum? Quid opus autem ad Ἑλληνιστῶν linguam deſignandam fingere nomen Ἑλληνιστικῆς. Si peculiarem dialectum habuere illi Ἑλληνισταὶ ſine ulla firmatione aut procuſione vocabuli nova, non potuit aliter ea dici niſi Ἑλληνιστική. Quidquid enim ad Ἑλληνιστὴν pertinet, id vocatur Ἑλληνιστικόν. Nec neceſſe fuit fingere aut comminiſci quod ipſum per ſe fluit ac derivatur ex nomine Ἑλληνιστής per uſitatiſſimam παραγωγήν. Hoc mihi argumentum vel potentiſſimum, nullam unquam fuiſſe τῶν Ἑλληνιστῶν dialecton propriam ac peculiarem, quia nemo veterum nominatim mentionem fecit huius Ἑλληνιστικῆς dialecti. Non opus, inquam, fuit, novum vocabulum præſente

nota

nota ſignare ad eam ſignificandam. Cuilibet occurrere poterat, qui ſciſſet, talem quamdam inter Græciæ dialectos numerari qua Helleniſtæ uterentur, vocandam eam eſſe Helleniſticam. *Si patribus*, inquit, *licuit procudere vocem Trinitatis , cur non licuit firmare iis quoque vocem* Ἑλληνιστικήν? Licuit ſane, nec aliter dixero. Sed cum non reperiantur procudiſſe quod illis fatemur licuiſſe procudere, ex eo argumentor, non noviſſe illam Helleniſticam, ut noverunt SS. Trinitatem. Pæne invitus tam impiam comparationem refrico. Enimvero patres, qui τριάδα in re tanti momenti & tam ſacroſancto myſterio uſurparunt, nomen ignotum Apoſtolis, quibus res tamen ſatis erat cognita, non dubitaſſent & Ἑλληνιστικὴν nominare, ſi talem ſciſſent dialecton uſitatam proprie fuiſſe τοῖς Ἑλληνισταῖς. Quod non licuit patribus antiquis, qui non potuerunt nomen facere ei linguæ quam prorſum ignotam habuerunt, cur licebit id hodiernis doctoribus, quibus omni ratione minus etiam nota hæc debuit dialectus eſſe quam veteribus? Differentiæ indicandæ ergo inter Græcas dialectos hanc vocem formare licuiſſe Triſmagiſtris, affirmat Heinſius. Quaſi inter Græcas dialectos ulla unquam audita fuerit, quam hoc

nomine diſtingui oportuerit à cæteris! Si Græca verſio cum Ebraiſmis nomine certo ſignanda fuit, ut diſtingueretur à dialectis Græciæ, eodem modo verſio Latina Bibliorum quæ eoſdem habet Ebraiſmos, à communi lingua Latina aliquo nomine diſcerni debuit. Similiter & Arabica, Ebraiſmos omnes retinens, à lingua Arabica vulgari ſeiungenda fuit. Ita & Perſica, ita & cæteræ. Noſtræ Gallicæ quid futurum eſt? Ebraiſmis tota farta eſt. Quomodo igitur ſeparabitur ab ea quæ Ebraiſmis caret, ſi nota non ei adponatur nominis certa, quæ diſcrimen faciat? Pergit confutare Salmaſium ὁ γλωσσάδας Εἰνσιάδης. Dixerat Salmaſius, *Mirum eſſe, auctores antiquiſſimos, qui verſionis* LXX *interpretum meminerunt, non dixiſſe, Biblia converſa fuiſſe in* Ἑλληνιστικὴν διάλεκτον, *ſed in* Ἑλληνικήν. *Atqui, inde inferebat Salmaſius, ſi Helleniſtica illa fuit lingua, & Helleniſtarum, id eſt, interpretum Iudæorum, qui ea verterunt, propria, dicere debuiſſe videntur, Helleniſtico ſermone eſſe reddita.* Nihil iſtis niſi cantilenam quotidianam obgannit Heinſiadæ vivida vis ingenii: *Nihil hæc ad rem facere.* Ἀπροσδιόνυσα *hæc ſunt*, inquit. Sane Bacchum non ſapiunt, & oleam potius olent quam temetum. Nam à ſobrio ſcripta ſunt. Nihil ergo ad liberum patrem, qui Deus eſt poëta-

poëtarum, faciunt, ſed valde ad rem, quantum ego iudico. Cur contra ſentiat, rationem nobis edat Heinſius, ipſe pater, nunquam niſi potus ad arma proſiliens dicenda. *Quicunque*, inquit, *de Livio ex antiquis loquuntur, eius ut Latini Hiſtorici mentionem faciunt: Nec tamen quiſquam Aſinio Pollioni diem dixit, quod qua erat ſagacitate in eo Patavinitatem deprehenderit ac notaverit.* Reddam ipſi ſuas voces. Hæc ἀπροσδιόνυσα ſunt. Nulla ſagacitate opus eſt, ad deprehendendos Ebraiſmos in verſione LXX. interpretum. Tam aperti ſunt, tam crebri, ut omni vel mediocriter Ebraice docto in oculos incurrant. Præterea Patavinitas quam pro nimia ſua ſagacitate in Livio deprehendit Pollio, non erat dialectus ſeparata Latini ſermonis, ut Helleniſtica Græci eſt, ſecundum Helleniſticarios Ariſtarchos. Hæc *Patavinitas* Livii etiam mire ſagaces hodie falleret Heinſiadas, niſi de ea monuiſſet Aſinius. Et quamvis de ea monuerit, quis hoc tempore tam perſpicax eſt, ut percipiat qualis illa fuerit *Patavinitas*? Utrum in ipſo dicendi genere & colore nō pure Romano, ſed Patavinæ phraſeos maculis conſperſo, poſita fuerit, an vero in ſingulis verbis? Auſim Iovem lapidem deierare, nobiliſſimo profeſſori Leydenſi haud magis intelle-

tellectam Patavinitatem quam noſtro Pariſienſi, qui promiſit,ſe ſcripturum hiſtoriam ſtylo Liviano, ſed ſine Patavinitate. Optime ergo, vt videtur, aſſequutus ſibi videbatur quid eſſet Patavinitas. Quid ſi in illis Livii reliquiis quæ ſuperſunt, nulla reſtant veſtigia aut notæ illius Patavinitatis, quę in aliis operibus quæ intercidere,apparebant,impreſſæ? Hoc certe ſuſpicor. Nam in Livianis quæ hodie extant nullum ſupereſſe puto ex Patavinitate maculam, ſi modo recte teneo quid ſit *Patavinitas*. De hoc non ſinit nos dubitare Quintilianus auctor graviſſimus, qui duobus locis illam explicavit. Voces ille fuiſſe vult aliquot Italicas Patavini ſoli quas uſurparat Livius, quæ delicatis auribus Romanorum inuſitatæ erant, ac proinde duræ videbantur. Sic enim ſcribit lib. 1. cap. v, quo tractat de virtutibus & vitiis orationis: *Hoc amplius, ut inſtitutum ordinem ſequar, verba aut Latina aut peregrina ſunt. Peregrina porro, ex omnibus, prope dixerim, gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa, venerunt. Taceo, Tuſcis, & Scabinis, & Præneſtinis quoque. Nam ut eorum ſermone utentem Vectium Lucilius inſectatur, quemadmodum Pollio Aſinius deprehendit in Livio Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam, plurima Gallica valuerunt, ut Rhe-*

*da*

*da ac petoritum, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur. Et mappam quoque uſitatum Circo nomen Pœni ſibi vindicant.* Patavinitatem illam in ſolis Patavinis vocabulis aliquot quæ Livius uſurparat, ſitam fuiſſe, hinc liquet. Quæ Patavina vocabula, ut erant Italica, pro Romanis etiam habenda cenſet Quintilianus. Nec magni faciendam Pollionis reprehenſionem, ita iudicat. Catullus ex eodem Patavino ſolo, Tranſpadanum vocabulum, ut idem notat Quintilianus, *Ploxenum*, in verſu poſuit. Idem auctor alio loco in aliquot tantum vocibus ex Patavino territorio ſumptis *Patavinitatem* Livio à Pollione obiectam clare indicat. Libro nempe. VIII. cap. I. *Attica anus Theophraſtum hominem alioqui diſertiſſimum, annotata unius affectatione verbi, hoſpitem dixit. Nec alio ſe id deprehendiſſe interrogata reſpondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Et in Tito Livio miræ facundiæ viro, putat ineſſe Pollio Aſinius quamdam Patavinitatem. Quare ſi fieri poteſt, & verba omnia, & vox, huius alumnum urbis oleant, & oratio Romana plane videatur, non civitate donata.* Non igitur, ut ex his liquidum eſt, in eloquutionibus, & dicendi genere, illa Patavinitas conſiſtebat, ſed in aliquot vocibus, non plane Romanis, ſed Italicis, quibus uſus fuerat Livius.

At

At quomodo hodie deprehenderent in Livii ſcriptis *Patavinitatem*, quam ei obiecit Aſinius, qui neſciunt quid ſit Patavinitas, & quo ſenſu uſurparit Pollio ad Livianæ phraſeos vitium notandum? Ecce inter Criticos hodiernos qui diſperire vult, ſi Aſinius, ipſe tam ridiculæ auctor calumniæ, quid eſſet Patavinitas, ſciebat. Putavit alius, delicatum Pollionis Aſinii palatum viſum ſibi fuiſſe aliquid in Livio guſtare quod non uſquequaque ſaperet genium Romani ſermonis. Alius credidit, hoc nomine reprehenſam fuiſſe peregrinitatem Orthographiæ. Nam ſcripſiſſe illum, ex lapidibus colligi, *ſibe* & *quaſe* pro *ſibi* & *quaſi*. Atqui hæc vetus etiam Romana fuit Orthographia, non Patavina. Alius cenſuit, eam Patavinitatem nihil aliud eſſe quam iterationem ſimul plurium in eiſdem periodis verborum. Alias etiam opiniones de Patavinitate illa Liviana, æque ridiculas ac falſas, recenſet Bonifacius in libro de Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus. Omnes, ut videre eſt, à ſcopo longe aberrarunt, cum Patavinitas illa in ſolis vocibus ex Patavino ſolo uſurpatis, & orationi Romanæ inſertis, conſtiterit. Alioquin certum eſt, non tantam in urbibus Italiæ, quamvis Latine loquerentur, ſermonis Latini puritatem fuiſ-

ſe

ſe, quanta erat Romæ. In provinciis multo etiam minor erat. Quamvis omnia Latina proferret, aliquid tamen obſervabatur in eorum loquela quod à Romani ſoli genio differret. Quintilianus in Hiſpanis ſcriptoribus pingue illud & ſonorum τῆς λέξεως notavit. Afri facile etiam ex ſtylo agnoſcebantur. Nec magis difficile fuit, Gallos noſtros antiquos Latine ſcribentes dignoſcere à reliquis provinciis eodem ſermone utentibus. Aſiatica redundabat in eorum ſcriptis copia, cum pompatica & exultanti ſermonis paratura, quam *Gallici cothurni* nomine vocarunt antiqui Critici. Quis ignorat, hodieque homines, etiam in noſtro idiomate peritiſſimos & eloquentiſſimos, qui provincias incolunt, non adſpirare ad illam inaffectatam ac ſinceram Gallici ſermonis proprietatem quæ Lutetiæ in ore loquentium & calamo ſcribentium nitet? In Vaſconibus Vaſconitatem deprehendere eſt, in Burgundis Burgundionitatem, & ſic in cæteris. De patria multum retinent. Nec tamen illæ differentiæ Gallici ſermonis in iis qui gnari eius ſunt, & ſine vitio eum pronuntiant, dialectos differentes fabricarunt. Etruſcus ſermo habetur in Italia hodie elegantiſſimus, ut olim Romæ fuit Romanus. Omnes docti

docti Itali cum hoc tempore affectant & conſectantur. Et tamen fatendum eſt, qui Florentiæ nati ſunt, nativo & incorrupto quaſi ſapore Etruſci idiomatis cæteris Italis prævalere. Sic inter verum Etruſcum, & Italum alium quemlibet, Etruſci ſermonis æmulum, eam eſſe vulgo differentiam quæ olim inter Atticos & Atticiſtas à Criticis ſtatuebatur. Verus & originarius Atticus facile deprehendiſſet in Atticiſta aliam ſalivam linguæ, quam quæ in ore Attici ſoli vernarum vulgo natabat. Non id in Theophraſto reprehendit Attica illa anicula, ſed vocabulum aliquod Atticis auribus inuſitatum. Hæc etiam Patavinitas fuit Liviana, in verbis ſingulis minime Romanis, ſed Patavinis & Gallicis. At oratio τῶν ſeptuaginta non verbis Ἑβραΐζει, ſed phraſibus. Nulla ergo ſimilitudo Patavinitatis, & idiotiſmorum Ebraicorum, qui in phraſi & eloquutione verſantur. Sed demum recte inſtitutam hanc utriuſque comparationem, nonne hoc faciet potius pro Salmaſio quã contra? Cum certum ſit, verſionem ſeptuaginta interpretum verbis Græcam, multis Ebraiſmis vitioſam eſſe, numquid aliter auctores eius orationem quam Ἑλληνικὴν vocant? Certe nunquam Ἑλληνιστικήν. Sic cum Titi Livii eloquutio Patavinitate, id

eſt,

eſt, Patavinis idiotiſmis, ſi ita lubeat interpretari, ſit referta, de eo tamen ſcriptore antiquo loquuntur, ut de auctore non ſolum diſertiſſimo, ſed & Latiniſſimo. Ut ſtylus Livii non videtur niſi Latinus, nec quo minus ita vocetur, obſtat eius Patavinitas, ut eam intelligunt Critici: Ita quamvis dictio τῶ LXX. ſordeſcat multis Ebraiſmis, hoc eſt, ut verbum & ipſi fingamus, *Ebraicitate*, pro Græca tamen & Græcanica habita eſt illa tranſlatio, nec aliter nuncupata legitur veteribus. Quid igitur neceſſe fuit τῆς Ἑλληνιστικῆς vocabulum generare, quo notaretur eloquutio ſeptuaginta interpretum, cum Livii orationem Latinam vocaverint antiqui, nihil obſtante *Patavinitate*. *Patavinitatem* Pollio vocavit, quam deprehendit in Liviana Phraſi. Vocemus ergo & *Ebraicitatem*, quæ in verſione τῶ ſeptuaginta deprehenditur. Ubique Heinſitatem in hoc opere agnoſco. Ex argumentandi quippe & ratiocinandi modo, in ſingulis paginis, ſæpius Heinſium deprehendo. Sic enim pergit συλλογίζειν. *Demus, antiquos ſcriptores tradidiſſe, puram putam fuiſſe* Ἑλληνίδα *qua uſi ſunt* LXX *ſenes.* Cur dat, quod dari non poteſt, & non petitur? Nemo voluit antiquorum aut recentium, puram putam illam eſſe Ἑλληνίδα. Sed accipiamus quod

dat. Quid ex illa datione conſequetur? *Nemo tamen*, inquit, *qui candorem non exuit, vitio vertet moderno alicui Critico Græce pariter ac Ebraice docto, ſi eorum* διάλεκτον *vocet* Ἑλληνιστικήν. Ego vero malo niger eſſe, & candorem omnem exuere qui in me eſt, quam ſic argumentari: Pura eſt Ἑλληνὶς, qua verſionem ſuam conceperunt ſenes ſeptuaginta: ergo vocari poteſt Ἑλληνιστική. Atqui certius eſt, puram non eſſe, vel ipſius teſtimonio, qui ſtatim ſubiungit, ut dationem illam priorem revocet: *Quod Achillæis argumentis probare poſſit, Ebræorum loquutiones locis infinitis converſas tantum fuiſſe in voces Græcas*. Nullo Achille, nullo ariete opus eſt ad effringendam aut ſubruendam hanc portam. Per patentem intrare recta licet. Nemo obſtat credenti, Ebræorum loquutiones in illa verſione redditas eſſe verbis Græcis. Quod omnes confitentur. Quid inde colligitur? Nempe impuram illam eſſe Ἑλληνίδα. Atqui dabat ſupra, puram eſſe. Multos ſtulte argumentantes vidi, ſed nunquam ſimilem. Sic enim Achilles ille ratiocinatur. Pura eſt Ἑλληνὶς, dialectus verſionis ſeptuaginta ſeniorum. Eadem impura eſt, quia Ebraicas loquutiones habet, infinitis locis in Græcas voces tantum converſas: Ergo vocari poteſt Ἑλληνιστική. Ego

go Tros Paris contra hunc Graium Achillem telum iſtud Apollinis directum manu, ſic intorqueo. Sive pura ſit, ſive impura, dictio ſeptuaginta interpretum, nullo modo vocari poteſt Ἑλληνιστική. Si pura eſt, Ἑλληνὶς vocabitur, vel Ἑλληνική. Nam pura Attica, appellatur Ἀττικὴ, non Ἀττικιστική. Si impura eſt, ut eſt revera, ob infinitos quibus maculatur Ebraicos idiotiſmos, & vocabula quam plura minime Ἑλληνικὰ, ſed peregrina & barbara, tanto minus vocari poteſt Ἑλληνιστικὴ, quæ tot ἀνελληνίστους qua phraſes qua voces habeat. Poterat & ceſſare ſequens probatio, non ſolum ut ſuperflua & otioſa, ſed etiam quia inepta & abſurda. *Sed ſalva res eſt*, ait. *Quamvis Græci qui ſcripſerunt de verſione* τῶν LXX, *totidem verbis non dicant, eos Ebræa convertiſſe in* Ἑλληνιστικὴν διάλεκτον, *clare ſatis illud indicant, quando dicunt, eos proprias loquutiones propriis vocibus reddidiſſe, aut dialectum Ebræam convertiſſe in voces Græcas*. Haud ſcio quam ſalva res ei ſit, ſed video, pudorem illi viro ſalvum eſſe non poſſe cui ratio non conſtet. Poteſt dicere, φρὴν δὲ αἰδὼς ποῖ με οἴχεσθε λιποῦσαι; Primum non neceſſaria probatione abutitur, ut nobis perſuadeat, in tranſlatione τῶν ſeptuaginta Ebraicas phraſes Græcis tantum verbis eſſe expreſſas innu-

meris locis. Nemo de eo dubitat, nec dubitavit. Deinde quod neceſſe non erat probare, id probat eiuſmodi argumento quo nihil tale effici poteſt. Auctores Græci dicunt, verſas eſſe ſcripturas ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν. Hoc eſt, LXX. *Interpretes Biblia ex Ebræa dialecto verterant in linguam Græcam.* Quid clarius, inquit, *dici poteſt?* Sane nihil clarius. Sed hoc ille ſic explicat: *Convertendo ſcilicet Hebræas loquutiones, idiotiſmos, & phraſes, in verba Græca.* Mira profecto interpretatio, & quæ ex verbis auctorum nullo modo elici queat. Quid ſi ſeptuaginta interpretes, omnes idiotiſmos Ebraicos non ſolum verbis Græcis, ſed etiam phraſibus reddidiſſent, in vertendis Græce ex Ebræo Bibliis, an non dicere licuiſſet auctoribus, *ſcripturas ex Hebræorum dialecto in Græcam linguam fuiſſe converſas?* Hoc eſt, ut Clemens loquutus eſt, ἑρμηνευθῆναι τὰς γραφὰς ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν. Non aliter ſane loqui potuiſſent, etiamſi Ebraica convertiſſent in Græcum purum ſermonem nullis conſperſum Ebraicis idiotiſmis. Non minus puerilis & fatua ratio quæ ſubnectitur. *Si enim,* inquit, *Ebraiſmos convertiſſent in Helleniſmos, Clemens & Epiphanius dixiſſent, Biblia tranſlata fuiße in Græcam*

*dialecton; quod poſtulabat Ptolemæus.* Quod igitur auctores dixere, verſa eſſe Biblia in linguam Græcam, hoc ipſo ſignificant, non tranſlata fuiſſe in Græcum purum ſermonem. Si dixiſſent, in Græcam dialecton, tum foret intelligendum, tranſlationem pure eſſe Græcam. Ergo ex ſententia ſummi virorum, *dialectus Græca*, & *Græca lingua* differunt, διάλεκτος Ἑλληνικὴ, & γλῶττα Ἑλληνική. Græca lingua ea dicitur, quæ impura eſt, & admixtos habet Ebraiſmos, qualis eſt verſio ſeptuaginta interpretum. At Græca dialectus, ea pure Græca eſt, ſine ullis barbariſmis & Ebraiſmis. Talem poſtularat Ptolemæus Bibliorum verſionem à Iudæis, ut eſt in ipſius Epiſtola cuius mentionem facit Epiphanius, qua rogaverat Iudæos Hieroſolymitanos, ut mittere ſibi vellent ἑρμηνευτὰς τοὺς δυναμένους αὐτῷ φράσαι τὰς βίβλους εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον διὰ τῆς Ἑβραΐδος. *Interpretes qui poſſent Biblia ex Ebraide dialecto in Græcanicam dialecton convertere.* His verbis poſtulabat nimirũ, eos ſibi mitti interpretes qui dialecto Græca, hoc eſt, puro Græco ſermone transferrent ſcripturas. *Voluerat hoc quidem Ptolemæus*, ut dicit maximus veri auctor Heinſius: *ſed nõ accidit*, eodẽ Epiphanio teſte, qui ita: Πρῶτοι ἑρμηνευταὶ γεγόνασι τῆς θείας γραφῆς ἀπὸ Ἑβραϊκῆς διαλέκτου εἰς Ἑλλη-

νίδα ἑβδομήκοντα δύο ἄνδρες. An ex his Epiphanii verbis colligere eſt, nō obſecundaſſe Iudæos Ptolemæi voluntati, & pro his, quos flagitaverat interpretes qui ſcirent ſcripturas convertere in Græcam dialectum, miſiſſe eos qui id neſcirent, ſed tantum poſſent eas transferre in Græcam linguam, non impuram, & Ebraizantem? Hæc viri maximi ſententia eſt, digna certe vel propter tam egregiam ac excellentem eruditionem, ut Salmaſio in omnibus locis præferatur, qui tantum præcellat, non ſolum doctrina, ſed & nobilitate. Primum, cui probabile fiet, Iudæos noluiſſe Ptolemæo morem gerere, & poſtulatis eius reſpondere, de verſione quam flagitabat? Nec id dicit Epiphanius, nec quiſquam veterum tradidit. Multo minus ex verbis ſicut ab Epiphanio poſita ſunt id eluceſcat. Petiit ille per Epiſtolam, ſcripturam ſibi Ebraicam converti εἰς τὴν ἑλληνικὴν διάλεκτον. Iudæi miſerunt ei interpretes qui tranſtulerunt eam ſcripturam εἰς ἑλληνίδα. Sic enim ſcribit Epiphanius: καὶ ὄντως αἱ βίβλοι εἰς ἑλληνίδα ἐκτεθεῖσαι ἀπετέθησαν ἐν τῇ πρώτῃ βιβλιοθήκῃ. Quæ illa ἑλληνίς? An alia quam ἑλληνικὴ διάλεκτος? Certe cum abſolute ἑλληνίδα dixerit, æque poteſt ſubaudiri διάλεκτον, quam γλῶτταν. Unde igitur

tur divinat vir divinus, cum Ptolemæus petiiſſet, verti ſcripturas in puram Græcam, convertiſſe eas Iudæos interpretes in impuram? Reponit vir omniſcius, ſubaudiri potius debere γλῶσσαν, quam διάλεκτον. Γλῶσσαν porro Ἑλληνίδα & διάλεκτον Ἑλληνίδα plurimum differre. Quæ *lingua* Græca dicitur, eam eſſe impurum Græcum ſermonem. Quæ dialectus vocatur, pro puro habendam. Quid reſpondebit ergo Irenæo, qui εἰς Ἑλληνικὴν διάλεκτον μεταβεβλημένας εἶναι τὰς γραφὰς dixit? Nec dubito quin alii etiam διάλεκτον ſimiliter in eadem narratione appellarint. Cum hac diſtinctione quam vir politiſſimus invexit, τῆς γλώσσης, καὶ τῆς διαλέκτου, Græca lingua ſive Ἑλληνὶς, ea ipſa eſt quæ vocari debet Ἑλληνιστική. Nam inter Ἑλληνίδα, vel Ἑλληνικὴν γλῶσσαν, & Ἑλληνιστικὴν, nihil intereſt. Græca hac lingua ſive Helleniſtica, concepta fuit verſio ſeptuaginta interpretum, non Græca dialecto. Si Græca porro lingua eadem eſt cum Helleniſtica, certe & Græca dialectus debebit eadem eſſe cum Helleniſtica dialecto. Non enim, ut res eſt, differt τὸ Ἑλληνιστικὸν, & τὸ Ἑλληνικὸν, ſed γλῶσσα tantum & διάλεκτος. Hoc ut evincat Phœnix ſui ſæculi & Græcę pariter linguæ, Græcæque dialecti ſcientiſſimus, ita de-

monſtrare incipit. Glòſſæ διάλεκτον exponunt, *elocutionem*, Elocutio autem Latinis idem eſt quod apud Græcos φράσις. Ergo cum Ptolemæus petiit ſibi dari interpretes qui Biblia converterent εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον, eos habere voluit qui Græca phraſi exprimerent Ebraicos idiotiſmos. Hæc eſt mens, ſi bene eam aſſequutus ſum, viri incomparabilis. Sed male ſit illi Gloſſarum inſcito conſarcinatori, qui tam magno viro tam levem inepte argutandi anſam præbuit, ex qua adeo falſa, & aliena proferret, ac prope delira. Διάλεκτος certe aliquando Græcis ſumitur pro ea quæ eloquutio eſt, vel ἑρμηνεία cuiuſque, qua ſe exprimit, vel loquendo, vel ſcribendo. Atque ita hanc vocem bis aut ter uſurpavit Ariſtoteles in libro de Poëtica. Sed cum διάλεκτος Ἑλληνικὴ dicirur, nihil differt ab ea quæ γλῶττα eſt. Unaquæque autem dialectus ἐθνικὴ ſive τοπικὴ, qua gens à gente, populus à populo loquela diſtat, non in phraſi, ſed in verbis ſingulis præcipue cernitur, in quibus tota dialecti & dialecti, linguæ & linguæ differentia conſiſtit, ut alibi pluribus explicabimus. Si tanta autem eſſet differentia linguæ & dialecti, γλώσσης καὶ διαλέκτου, quantam vult hoc loco vir qui parem non habet, toto genere inter

inter ſe differrent dialectos & lingua. Atqui Grammatici διάλεκτον definiunt per γλώσσης ἰδίωμα. Nulla autem res definitur per id à quo differt genere. Si dialectus eſt γλώττης ἰδίωμα, omnino etiam eſt γλῶττα ἰδιάζουσα. Et profecto nihil diſcriminis eſt inter γλῶτταν, & διάλεκτον. Nam & Græci ipſi vocarunt ſuas dialectos γλώττας, & Latini *linguas*. Quintilianus lib. XII. cap. X. ubi comparat paupertatem Romanæ linguæ cum copia Græcæ. *His illa potentiora, quod res plurimæ carent appellatione, ut eas neceſſe ſit transferre, aut circumire: Etiam in iis quæ denominata ſunt, ſumma paupertas in eadem nos frequentiſſime revolvit. At illis non verborum modo, ſed linguarum inter ſe differentium copia eſt.* Diomeles etiam Grammaticus, ſi bene memini, dialectos Græcorum interpretatur Latine *linguas*. Et quid tricamur in re nota? Linguæ iſtæ Græcis inter ſe differentes, ſunt eorum variæ dialecti. Quinimo ſæpius hæc vox γλῶσσα accipitur apud Græcos de ſingulis dictionibus cuiuſque dialecti, quæ in aliam dialectum, vel dicendi genus tranſlatæ, interpretationis indigent. In his γλώσσαις præcipue ſita eſt, ut diximus, dialectorum ſingularum quæ & γλῶτται dicuntur differentia. Et generaliori etiam appellatione id vocabuli uſupatur,

 de

de lingua Græca in dialectos diviſa plures, quas omnes complectitur. Hac notione Biblia εἰς Ἑλλάδα γλῶσσαν, vel Ἑλληνικὴν, ut dixit Ioſephus, converſa, Greco ſermone interpretata quaſi quaſi, deſignant. Nam linguæ etiam Græcæ nomine poteſt nuncupari huiuſmodi ſermo Græcus cum Ebraicis idiotiſmis. Linguæ quippe Græcæ, Ἑλλάδος γλώσσης, appellatione, generaliter poſitę, omnes eius dialecti comprehenduntur. Si Helleniſtica lingua una eſt ex Græciæ dialectis, ut aſſerunt Helleniſticarii, qui de verſione τῶν LXX. loquuti ſunt, auctores magis dicere debuerunt, εἰς Ἑλληνικὴν διάλεκτον tranſlata ex Ebræo eſſe Biblia, quam εἰς Ἑλληνικὴν γλῶσσαν. Quid mentis igitur fuit viro ſupra laudem, cum una manu affirmat, linguam Helleniſticam eſſe dialecton, & eadem negat? Dicit enim hoc loco, ſi ſeptuaginta interpretes ſcripturæ Ebraiſmos convertiſſent in Helleniſmos, ſcriptores qui de ea verſione ſcripſerunt, dicturos fuiſſe, εἰς Ἑλλάδα διάλεκτον. Quod autem dixere, εἰς Ἑλλάδα γλῶτταν, de Helleniſtica intellexiſſe. Atqui ea Helleniſtica, dialectus ipſis eſt. Ergo γλῶσσα, & διάλεκτος res eadem. Διαλέκτου porro vocem non ſignificare Eloquutionem ſive phraſim, locus ipſe, quem ex Plutarcho affe-

afferunt, allatus teſtabitur: Ὅμηρος ἀπὸ πάσης διαλέκτου τῶν Ἑλλήνων χαρακτῆρας ἐγκατέμιξεν. *Homerus ex omni dialecto Græcorum Characteres ſcriptis ſuis immiſcuit.* Non elocutiones vel eloquendi genera, ex variis Græciæ dialectis, inſperſit ſuis poëmatis Homerus, ſed vocabula ſingularia. Ut πεμπώβολα ex Aeolica dialecto. Nam πέμπε pro πέντε dicunt Aeoles. Inde Aeolici generis Homerum fuiſſe coniectabat Herodotus. Et quod Aeolès Exta verubus quinis torrebant, non trinis, ut cęteri Gręci, Verua illa πεμπώβολα vocavit. Tā miſerabilis eſt vir admirabilis, ut omnia quæ contra faciunt, tanquam pro ſe facientia teſtimonia adducat. Nec locus Philonis ab ipſo allatus probat, διάλεκτον eſſe ſimplicem elocutionem, ſed linguam nationis cuiuſcunque propriam. Τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι πᾶσα μὲν διάλεκτος, ἡ δ' Ἑλληνικὴ διαφερόντως πλουτεῖ; Quam multa miſer verba perdidit, ut unam ſervaret dialectum, quæ perire non poteſt, quia nec eſt, nec erit, nec fuit. *Si ergo,* inquit, *veteres auctores ſciverunt,* διαλέκτους *ſive idiotiſmos Ebræos retentos fuiſſe à* LXX. *interpretibus, qui eos pleriſque locis Græcis tantum verbis reddiderunt, quis amplius quærere velit, cur Græcam linguam, qua uſi fuerunt, nemo ex antiquis vocaverit* ἑλληνιστικήν. Iam

dixi,

dixi, fruſtra eum laborare, ut inani conatu fores apertas effringat. Cum ſine vi liceat introire. Omnes confitemur, idiotiſmos Ebræos ab interpretibus LXX. retentos fuiſſe, ſed omnes etiam negamus, idiotiſmos illos ſive eloquendi genera, ſive phraſes, nomine διαλέκτων apud Græcos veniſſe. Infinita erant, ſi hoc illi concedemus, in Græcia dialectorum genera. Hoc modo unaquæque dialectus plures dialectos continebit; & pæne innumeras. Quot erunt eloquendi genera & phraſes apud auctorẽ quemlibet qui Attica aut Dorica dialecto uſus fuerit, totidem eſſe oportebit in ſtylo illius auctoris dialectorum ſpecies. Quod quam ſit ridiculum & abſurdum, ſed & inſanum, nemo non videt. Nunc videamus formam eius argumenti. Nam mirabilis eſt. *Quod conſtet, LXX. interpretes idiotiſmos Ebræos verbis Græcis tranſtuliſſe, nemo amplius quærere debet, cur Græcam linguam qua uſi fuerint, nemo vocaverit ex antiquis Helleniſticam.* Nemo ſane hoc quærendum hodie putaret, niſi ſic vocaretur ab hodiernis Criticis. Nunc quis non hoc quæſtione dignum deputet? Veteres qui melius id ſcire poterant, non vocarunt Græcam eloquutionem qua uſi ſunt ſeptuaginta interpretes, Helleniſticam: ita autem hodie eam nuncu-

pant

pant Nooterici profeſſores. Rationem igitur edere debent huius appellationis quę veteribus inaudita fuit. *Quando*, inquit, *de re convenit, fruſtra de verbis contenditur*. Quis hanc de verbis contentionem iniecit, præter illos qui nomen hoc commenti ſunt? Cur nolunt à ſe rationem repoſci quamobrem tale vocabulum finxerint? An idonei ſunt qui pro libitu ſuo nova nomina generent, & ſuam auctoritatem nulla antiquitate ſuffultam, nulla ratione ſubnixam, nobis opponant? Saltem non prohibebunt nos quærere an nomen rei conveniat. Atqui non de nomine tantum controverſia eſt, ſed etiam de re. Non enim ſolummodo quæſtio eſt, an recte vocetur Helleniſtica eiuſmodi elocutio, vel oratio qua uſi ſunt ſeptuaginta interpretes, ſed etiam an talis dialectus olim extiterit, inter Græciæ dialectos numeranda, quæ peculiares qua voces qua phraſes habuerit, & hoc nomine diſtincta fuerit ab reliquis Græcorum dialectis. Dixit Salmaſius in præfatione, *Non poſſe ſibi perſuadere, eumdem eſſe* Ἑβραϊσμὸν *cum* Ἑλλωισμῷ, *&, ſermonem illum vere dici* Ἑλληνίζειν *qui ubique* Ἑβραΐζει. An non huius perſuaſionis quam Salmaſius non potuit induere, certa ratio eſt atque evidens? Si Ἑβραΐζειν idem eſt, quod Ἑλλωίζειν, optime ſane

ſane ac valde proprie nuncupatur ἑλληνιστική, quæ eſt ἑβραϊστική. Quid ita? Ratio in promptu eſt, idem quippe ἑλληνισμὸς, & ἑβραϊσμός. Sin autem hæc differunt toto ſolo & cœlo, non male ſibi perſuaſit Salmaſius. Quid reſpondet Litteratorum princeps? *Curioſe ſe non inquirere, quid ſibi perſuadere poſſit Salmaſius*. Generoſiſſima hæc Nobiliſſimi viri, ſed & ingenioſiſſima reſponſio. Solo ſpiritu difflare voluit, quod toto corporis ſe loco movere non poſſe ſenſit. Sic Britto ob vitium pedis in verſu reprehenſus, ita ſe defendebat, *Quod Brittones non curarent Syllabarum quantitatem*. Salmaſius curat ſcilicet quid hariolentur fanatici, & inepti fictores nominum! Aliud etiam reponit, quod iam bis recoctum dedit, generoſa Heinſiadæ indoles. Sic repetita bis placent τὰ καλά. Nempe, *æque commode Helleniſtarum elocutionem vocari poſſe* ἑλληνιστικὴν, *ac elocutio quæ poëtis peculiaris eſt*, ποιητικὴ *vocatur*. Salva res eſt, & conſaneſcere incipit. Iam elocutionem vocat, quam dialectum peculiarem eſſe volebat. Elocutio ſane eſt, non dialectus ſpecialis, ſermo quo uſi ſunt ſeptuaginta Tralatores. Atqui ſupra elocutionem & dialecton eumdem eſſe probabat Gloſſarum teſtimonio. Hic vero cum eloquutionem Helleniſtarum compa-
rat

rat eloquutioni poëtarum, inde manifeſtum eſt, de qua elocutione intelligat. Nam elocutio poëtarum non eſt dialectus peculiaris, ut Aeolica, Ionica, Dorica & Attica. Quis hunc Protea tenebit? Tribus infra lineis Helleniſticam dialecton vocari ſcribit, & differentiæ ergo ita dici, quemadmodum διάλεκτος qua utuntur Iones, vocatur Ἰωνική. Si ſic iſto loco elocutionem accepit quæ Helleniſtarum ipſi eſt διάλεκτος, perperam διάλεκτον hanc comparavit cum elocutione poëtarum, quæ λέξις eſt, non dialectus. Iam ſuperius refutavimus hanc ſimilitudinem, cum nihil habeat affinitatis Helleniſtarum dialectus Helleniſtica, cum poëtarum poëtica elocutione. Poëtæ ſibi faciunt ipſi, & pariunt hoc dicendi genus, quod habent proprium. Et recte ab eo qui peperit, vocatur talis elocutio ποιητική. Helleniſta vero non poteſt habere peculiarem loquendi formam ac modum, diverſumque ab Ἑλλήνων lingua, quæ & Ἑλλὰς dicitur, & Ἑλληνική. Hæc communis eſt omnium tam Ἑλλήνων quam Ἑλληνιζόντων, qui & Ἑλληνισταὶ dicuntur. Nulla itaque dici poteſt Ἑλληνιστικὴ lingua quaſi τῶν Ἑλληνιστῶν propria, quia dialectus qua ipſi utuntur, Ἑλλὰς eſt, à qua & verbum Ἑλληνίζειν, & nomen Ἑλληνιστής, & adverbium Ἑλληνιστί.

Sub-

Subiungit ſtatim vir incomparabiliter nobilis & ingenioſus, *Valeret Salmaſii ratio, ſi illi qui hac lingua uſi ſunt, vocarentur* Ε'βραϊςαί. *ſed expreſſe à ſpiritu ſancto in* N. T. *vocantur* Ε'λληνιςαί. Valeret id quod opponit rationi Salmaſianę ὁ γλυνάδας, ſi mentio ulla extaret Helleniſticæ linguæ ab Helleniſtis illis denominatę: Si conſtaret Helleniſtas illos peculiarem habuiſſe dialectum quæ diceretur Helleniſtica: Si denique Helleniſtæ fuiſſent auctores tam Veteris quam Novi Teſtamenti, eo ſenſu quo *Helleniſtam* definire placuit generoſiſſimo Heinſiadæ. Si quis non natione Ebræus linguam Ebraicam didiciſſet, eaque uteretur, is dici poſſet Ε'βραϊςὴς, eodem modo quo Α'ττικιςὴς appellatur qui ſermone Atticiſſat, non oriundus ex Attica. Sic Cnidius Agatharchides veteribus Criticis Α'ττικιςὴς vocatur, quia genus dicēdi Atticū in ſcriptione affectavit. Photius de illo: Κέχρηται ὁ συγγραφεὺς, Α'ττικιςὴς καίτοι ὢν, τῇ τῆς καμάρας λέξει. Hoc notat, quia vox καμάρα parum ipſi viſa eſt Attica. Concludit nobilis argumentator; *Differentiæ ergo Helleniſtarum dialectus dicitur* Ε'λληνιςική, *quemadmodum* διάλεκτος *qua utuntur* οἱ Ι'ωνες, *vocatur* Ι'ωνική. Cuius differentiæ ergo hoc nomen nacta eſt ἡ Ε'λληνιςική? An ut diſtinguatur ab Ε'λληνικῇ? Certe hæc una ex quin-

quinque Græcorum dialectis. Atqui Græcam linguam paulo ante Hellenisticarius eamdem ſtatuebat eſſe cum Helleniſtica qua uſi ſunt ſeptuaginta interpretes. Eo tamen loco dialectum à lingua ſeparabat. Et διάλεκτον Ἑλληνικὴν diverſam faciebat à lingua Ἑλληνικῇ, cum hæc lingua Ἑλληνικὴ, non differret à dialecto Ἑλληνικῇ. Ergo διάλεκτος Ἑλληνικὴ & Ἑλληνιστικὴ inter ſe differunt. At Grammatici ſunt ex antiquis, qui negent Ἑλληνικὴν proprie eſſe διάλεκτον, & quattuor tantum numerant, Aeolicam, Ionicam, Doricam, & Atticam. Si Hellenica lingua, non eſt dialectus, multo minus erit Helleniſtica. Sed de his infra pluribus. Adiicit vir nunquam ſatis laudatus etiamſi ſemper laudetur, *Quamvis enim* Ἑλληνισταὶ *inter alios populos diverſi peculiarem regionem non incoluerint, nomine tamen ac religione tam diſtincti fuerunt ab aliis Græcis ac* οἱ Ἴωνες *nomine ac regione.* Non falſus eſt, qui mihi dixit, ingenioſiſſimum Heinſium alia omnia ſcire, ratiocinari neſcire. Toto hoc opuſculo id oſtendit. Quod Ἑλληνισταὶ, nomine diſtinctos fuiſſe ab aliis Græcis autumat, hoc plane falſum. Nam omnis qui Græca utitur lingua, cum Græcus non ſit ori-

 gine,

gine, Ἑλληνιστὴς eſt ac dicitur. Si negare id poſſunt, negent & de Ἀττικιστῇ. Ionici generis ſcriptor, vel Aeolici vel Dorici, poteſt lingua ἀττικίζειν, & proinde Ἀττικιστὴς dici, ſi relicta vernacula lingua, ſcribere malit Attica. Sic dicitur & Ἑλληνιστὴς, ſi Græca compoſuerit. Quod religione diſtincti fuerint Helleniſtæ ab aliis Græcis, hoc non potuit efficere, ut aliam ab his linguam haberent, ſibique peculiarem. Cæteros Iudæos hæc eadem religio ſeparabat, non ſolum à Græcis, ſed ab omnibus etiam nationibus. Verum hæc diverſitas religionis non impediebat, ne eadem lingua uterentur, Iudæi in Italia nati, cum Italis: In Græcia cum Græcis: In Babylonia cum Chaldæis: In Perſide cum Perſis. Nec hodie vetat iſta differentia religionis, qua à Chriſtianis dividuntur Iudæi, ne locorum, quæ inhabitant, & pro πατρίδι γῇ habent, linguam addiſcant, & communiter eam uſurpent cum regionis, cui addicti ſunt, incolis. Vir ſine comparatione maximus pro Helleniſtis habet omnes Iudæos exules, ubicumque terrarum agitant. Et tamen hos omnes, ſic inter alios populos, quicunque fuerint, diſperſos, quamvis peculiarem regionem

gionem non incoluerint, peculiarem tamen habuiſſe vult dialecton, & ubique uniformem, quæ dicta ſit Ἑλληνιστική. Quod quomodo per rerum naturam fieri poſſit, prorſus ignoro, quia id omnino impoſſibile iudico. Græci, hoc eſt, Ἕλληνες, cum ab uno auctore, qui Ἕλλην dictus eſt, propagati ſint, cum ab initio eamdem linguam unamque propriam omnes habuerint, poſtea tamen in varia loca diſperſis eius filiis, lingua eorum immutata eſt, pro ratione locorum quæ inſederant. Quæ mutatio in ſingularum præcipue vocum terminatione ac pronuntiatione conſtitit. Græci Grammatici de filiis Hellenis: Διασπαρέντων γὰρ τούτων εἰς πλείονας τόπους, καὶ τὴν αὐτὴν φωνὴν οὐκ ἔτι φυλαξάντων, ἀλλὰ τῇ τῶν τούτων μεταβολῇ ἅμα καὶ τὴν φωνὴν μεταβαλλόντων, συνέβη διαλέκτους λέγεσθαι. Exemplo ſit & Romana lingua, quæ degeneravit in tres quaſi dialectos, Italicam, Gallicam, & Hiſpanicam. Romana vocabula aliter corrupere Galli, aliter Hiſpani, aliter Itali. Pro genio gentis ac regionis emollierunt gravitatem Romani ſermonis, aut etiam inflatiorem reddiderunt. Hoc Hiſpani, illud Itali. Medium Galli tenuere. Sed

de his alibi. Præter illas quatuor notas, ac celebratas dialectos, nulla urbs aut regio Græciæ fuit, nulla inſula quæ non peculiare ἰδίωμα linguæ habuerit. Quæ διαλέκτων ἰδιώματα, ut dixi, in vocibus ſingulis conſiſtebant. Quomodo igitur potuit fieri, ut Helleniſta Iudæus, verbi gratia in Dorica regione natus, idem idioma tenuerit quod ille cui Atticum ſolum originem dediſſet? ut ex Aſia oriundus Helleniſta, Græci ſermonis ſimilem per omnia ideam ſervaret, atque ille, qui in Syria, vel Alexandria Aegypti, ubi peculiaris Macedonica dialectus vigebat, natalem viderat diem? Cretæ inſulæ Iudæus dicet αὖζος pro ἄλζος, & reliqua idiomata Cretenſium in loquendo ſervabit. In Macedonia natus, βάλακρος pro φαλακρὸς loquetur. Laconicus Iudæus ἀκκὸρ pro ἀσκός. Cilicienſis πέρπερον appellabit quem reliqui Græci ἀπειρόκαλον. Dorici generis Helleniſta τῆνος dicet pro κεῖνος, & τόκα pro πότε. Hæc de Græcienſibus Helleniſtis. Quid illi qui regiones incolent quibus non eſt Græcus ſermo nativus? Romanum, id eſt, Romæ natum Iudæum Helleniſtam, quo Græco idiomate uſum fuiſſe dicemus? Nempe illo ipſo quo utebantur

tur Romani cives qui linguam Græcam in urbe addiſcebant. Perſidis Iudæi eodem idiomate imbuentur. Nam qui ibi linguæ Græcæ dabant operam, non diverſam loquelam Græcanicam diſcere cogebantur ab ea quæ docebatur Romæ. Sed dicet vir nemini comparandus niſi ſibi, Helleniſticæ ab aliis dialectis differentiam non facere verba ipſa, ſed ſolas phraſes Ebraicas. Hoc enim peculiare eſſe idioma dialecti Helleniſticæ, quod phraſi ἑ-βραΐζει. Ego vero reſpondebo, elocutionem ſive phraſim, non facere diſcrimen inter dialectos, ſed voces præcipue ſingulas. Qua de re amplius erit alibi dicendum. Ubi etiam illud docebitur, nullas ſeparatas unquam dialecto fuiſſe nationes quin regionibus quoq; diſiunctæ ac diſtinctæ fuerint.

## *Ad Sectionem* VI.

INitio huius Sectionis ſcribit eloquentiæ & Hiſtoriarum profeſſor inclytus, *diſpiciendum eſſe, an Novum Teſtamentum hac lingua Helleniſtica ſit conſcriptum*. Res diſpectione non indiget, ſi verum eſt quod ſubdidit. *Ignorare hoc non poſſe quicunque à limine tantum Græcas Ebraicaſque litteras ſalutarunt*. Ego

vero multos novi qui utriuſque linguæ intima penetrarant, quibus hoc non ſolum ignoratur, ſed etiam contrarium ſtatuitur. Rationem ſubiungit: *Cum enim Helleniſtica lingua ea vocetur, quæ retinendo phraſes & idiotiſmos Ebræos, Græcis verbis eadem exprimit, voci Græcæ aliquando eam ſignificationem aptando quæ proprie reſpondenti voci Ebrææ convenit, nemo mediocriter tantum doctus, non poteſt non ſtatuere,* Διάλεκτον *Novi Teſtamenti eſſe* Ἑλληνιστικήν. Si verum eſſet quod ſumit quaſi verum, id etiam inde conſequeretur quod conſequi vult. Sed quis illum docuit, Helleniſticam linguam eam vocari quæ Græcis verbis exprimit Ebraicas elocutiones? Quem auctorem huius appellationis habet? Unde vero didicit, dialecton Græciæ fuiſſe peculiarem, & ab aliis dialectis Græcis diſtinctam, quæ vocibus è Græcia petitis coniungit & connectit phraſes Ebraicas? Cum eloquendi modos etiam Latinos habeat, & plures voces Romanas intermixtas hæc dialectus, quid de his exiſtimat princeps eruditorum? Ut Ebraiſmi Helleniſticam faciunt, quam dialectum & quo nomine dabunt Latinæ eloquutiones ac voces? An & Helleniſticam? Ita apparet. Non enim ſecus dicunt. Ergo diverſa hæc erit Helleniſtica Novi Teſtamenti ab Helleni-

ſtica

ſtica Veteris. Iſta quippe caret Ῥωμαϊσμοῖς, qui plures in illa occurrunt. Nonne ridiculum eſt, quod probare nulla ratione queas, nec auctoritate, id pro confeſſo ponere? Vel minus quam mediocriter Græce Ebraiceque doctus ſcit, Ebraicas phraſes frequentes inveniri in Novo Teſtamento, ſed nemo eſt quantumvis eruditus in utraque lingua, qui poſſit docere, Helleniſticam eam dictionem vocatam olim eſſe, aut nunc vocandam. Quærit deinde vir virorum ſupra viros ſupremus, cum Salmaſius ſciat, ac fateatur, Ebraicas dicendi formulas in ſacra pagina reperiri, *cur adeo infeſtus ſit linguæ Helleniſticæ?* Reſponderim ego pro Salmaſio, meliori iure poſſe eum infeſtum umbræ ſuæ eſſe quam rei quæ non eſt. Quid enim eſt Helleniſtica lingua? Nihil. Aliquid eſt dictio qua uſi ſunt auctores veteris ac Novi Teſtamenti, ſed ea nihil minus eſt quam Helleniſtica. Nulla ergo dialectus Helleniſtica, niſi in cerebro Helleniſticariorum. Ibi eſt tantum, non alibi. Ubi ſanitatem ſincipitis receperint, qui ea Helleniſtica laborant, ſtatim in fumos abibit, aut in μεταχόσμια, unde in hunc mundum venit, revolabit. *Niſi putet*, inquit, *Salmaſius, grande piaculum committi ſi quis ὀνοματοποιῇ.* Nec mihi nec Salmaſio ulla ho-

ſtia expiandum facinus videtur, ſi quis cum ratione & analogia nomen fingat, & præſente nota ſignet, idque præſtet in linguis quæ hodie in uſu ſunt. Sed audaciam non ferendam mecum ille ſtatuit, cum maxima inſcitia coniunctam, ſi quis orationem, Ebraiſmis, Syriaſmis, Latiniſmis, Macedoniaſmis, idiotiſmis vulgaribus refertam, appellatione donet *Helleniſtica*, quæ ἀνελληνισίας potius eſſet appellatione ſignanda, pręſertim cum id propria auctoritate faciat, quod veteres auctores non feciſſe ſatis conſtat. Cui enim veterum nota aut nominata hæc Helleniſtica? Sequitur apud Helleniſticarium: *Si lingua hac, Ebraiſmis ac Syriaſmis repleta, uſi fuerunt illi, qui in Novo Teſtamento vocantur Helleniſtæ, cur ab eorum nomine Helleniſtica vocari non poteſt?* Iterum hic pro probato ſumit de quo diſputatur. Nam quis illi dixit, Helleniſtas illos, quorum in Novo Teſtamento mentio, uſos eſſe tali loquendi genere? An non potius probabile eſt, pleroſque ex his puro ſermone Græcè loquutos? Nomen ipſorum hoc potius ſuadeat. Quis enim Ἑλληνιστὴς, niſi qui Ἑλληνίζει, aut Ἑλληνιστὶ φθέγγεται? Si non omnes pura Ἑλληνίδι uſi ſunt, certe plures videntur ita loquuti. Aliquos ſaltem non negabunt uſurpaſſe puram putam Ἑλληνικήν.

κὴν. Nam cum magna pars eorum Helleniſtarum, vel confitentibus ipſis Helleniſticariis, Ebraice neſciret, non eſt veriſimile, Græco-Ebraicam in ſermone uſurpaſſe qui Ebraice prorſus ignari erant. Ergo iſti Grece tantum cum ſcirent, Græca lingua ſincera & impermixta utebantur. Ab his itaque Helleniſtis potuit etiam vocari Helleniſtica, quæ pura eſſet Græca dialectus. Sic duo genera erunt ponenda Helleniſticæ, pure Græcum, & impurum. Dicent fortaſſe, ex lectione aſſidua & auditione verſionis τ͂ ſeptuaginta hos Helleniſtas, qui Ebraice neſciebant, adfricuiſſe loquelæ ſuæ hanc labem. Vix dici hoc poteſt. Et exempla in contrarium omnia ſunt, præter rationem & experientiam, quæ aliud omnino perſuadent. Iudæi illi, ut volunt, Græce ſciebant, & quidem melius quam Ebraice. Ideo & Helleniſtæ dicti. Quidam ex his ne legere quidem Ebraice norant. Nonnulli in media nati Græcia non aliam callebant linguam. An eſt veriſimile, tam bene fundatos in linguæ Græcanicæ ſcientia quam cum lacte hauſerant, infeciſſe linguam patriam ſcripturæ Græcanica verſione impuriore & Ebraizante, quia eam legerent aut in Synagoga legi audirent? Ioſephum ſcripturam ſacram perlegiſſe di-

 ligenter,

ligenter opera ipſius oſtendunt. Philonem quoq; eam pervolutaſſe, ex ſcriptis eius facile cognoſcitur. Numquid ex frequenti lectione Bibliorum Græcorum ex verſione τῶν LXX, eum contraxerunt dicendi colorem, qui ſimilis eſſet ei interpretationi, & puritatem Ἑλληνισμοῦ non conſervaret. Nulli Græci ſunt Græciores, aut Ἕλληνες Ἑλληνικώτεροι, quam illud Ἑλληνιστῶν par eſt. An non credimus, multos ex illis Helleniſtis, quorum in Actis fit mentio, linguæ Græcæ æque peritos fuiſſe? Sane fuere, ſi Ἑλληνισταὶ ex vero dicti ſunt. Cur tam longinqua & vetera arceſſimus, cum habeamus in promptu politiſſimum Heinſium, hac noſtra ætate viventem, cuius ad gloriam & decorationem vivit? Is in ſeptuaginta interpretum verſione ſic totus habitat, ut ex eius eloquutione propriam dialectum nobis conflarit, in qua pæne ſolus regnat. Cum Epiſtolam tamen idem, aut orationem, aut poëma Græco ſtylo condere vult, an Ebraiſmis ea condita nobis propinat, quorum tamen eſt ſcientiſſimus? Nam in Ebraiſmo & Syriaſmo parem non habere, amici eius viri ſummi agnoſcunt. Quid de patribus Eccleſiæ antiquis Græcis dicemus? Nonne in verſione Bibliorum Græcanica totos dies noctesque verſabantur? Nec tamen

men aſſidua & continua tractatio Biblici ſermonis nitorem nativum patriæ linguæ, qua ſcribebant, & populum in Templo alloquebantur, infuſcavit. Cum Sophiſtis illius ævi celeberrimis, & Atticiſtis ſummis, de eloquentia, & orationis Græcæ præſtantia, contendebant, palmamque dubiam faciebant. Baſilium dico, Gregoriũ utrumque, Apollinarium, & alios quos illud ſæculum tulit, non minus Græce diſertos, quam in lectione Bibliorum exercitatos. Aſcendamus, & anteriores adhuc propioreſque Apoſtolorum ævo accedamus. Quid ille Origenes, qui omnes Bibliorum Græcas interpretationes tam ſtudioſe inter ſe comparavit, & cum Ebraico textu contulit, quique tantus in Ebraica litteratura fuit? cum Græce ſcribere voluit, numquid Helleniſtice ſcripſit? Atqui nemo fuit, cuius λέξιν Græcanicam magis videatur corrumpere debuiſſe, & in Helleniſticam depravare, conſuetudo tam frequens & familiaris Ebraiſmorum, quæ in nullo unquam tanta extitit. Ulterius progrediamur, donec attingamus eos qui Apoſtolorum tempora contigerunt, ipſoſq;, aut diſcipulos eorum, videre potuerunt; Clementem Alexandrinum, Polycarpum, Irenæum, Ignatium, Clementem Apoſtolicum, Papiam, & alios.

An

An eos putamus in ſcripturarum lectione minus aſſiduos fuiſſe, quas Helleniſtica lingua conceptas eſſe volunt Helleniſticarii? Cur ergo nemo eorum *Helleniſtice* ſcripſit, ſed omnes Græce? Quis credat igitur, Helleniſtas illos qui tempore Apoſtolorum vixere, alia lingua uſos eſſe quam pure Græca? Certe non Helleniſtica. Unde enim eam didiciſſent, quæ nulla erat? Verſionem τῶν ſeptuaginta legebant. Nihilo minus linguæ patriæ uſum non amittebant. At Iudæi erant. Primum hoc negamus. Deinde ſi quis hoc dederit, ultro fatentur Helleniſticarii, tales Iudæos vix Ebraice ſciſſe. Poſtremo non eſt abſonum, nec impoſſibile, ut Iudæus aliquis Græce pariter & Ebraice doctus, utraque lingua diſtincte uti poſſit, quoties utriuſvis uſurpandæ occaſio illi fuerit aut neceſſitas, ſine confuſione aut commixtione diverſarum dialectorum. Hoc ſæpe fit, hoc quotidie fieri videmus. Nihil uſu crebrius. Luſitani Iudæi, & ipſi inter eos magiſtri, quamvis Ebraice ſciant, & Ebraicam ſcripturam quotidie lectitent, cum Luſitanice loquendum eſt, nullos admiſcent Ebraiſmos. Idem de Germanis Iudæis dixeris, idem de Belgis, Italis, Hiſpanis & Gallis. Nonne idem etiam liceat opinari de Helleniſtis Iudæis? ut nimirum

potue-

potuerint Græco idiomate puro uti, & puro Ebraico, cum uſus veniſſet alterutrius frequentandi ? Hoc potuere Ioſephus & Philo: cur Helleniſtis illis id impoſſibile? Ioſephus & Philo, inquient, Ebraice neſciverunt. Concedamus hoc, dum illi viciſſim concedant, Syriace illos ſciviſſe. Quod erat idioma tunc Iudæorum, quibus Ebraicum è Bibliis erat hauriendum. An Syriaca dialectus minus oberat Græce loqui pure volenti, quam Ebraica ? Syriaſmos in loquelam Græcam transfundere, utramque linguam callenti æque erat proclive, ac Ebraiſmos Ebraice ſcienti ? Opponet corculum Helleniſticæ ſuadæ, Apoſtolos, qui Græce & Ebraice periti fuerunt, non pura ἑλληνιστὶ uſos eſſe, ſed ea quam cenſet vocandam Helleniſticam. Oſtendant, Apoſtolos Helleniſtas fuiſſe, tum dabimus, eos Helleniſtice ſcripſiſſe. Veniamus ad Latinos patres, ut ſciamus, an ſecus de his fuerit quam de Græcis. Quis inter illos Hieronymo Ebraice doctior, quis etiam magis verſatus & exercitatus in verſione Græca ſeptuaginta interpretum? Cum Latine ſcribebat, an Romanum eius eloquium intermixti idiotiſmi Ebraici fœdarunt ? Biblia etiam ipſa ex Ebraico in Latinum vertit. Cum ea verteret, Ebraiſmos paſſim retinuit,

nuit, quos Latinis verbis expreſſit, haud minus quam ſeptuaginta ſeniores. Latine ergo ſcribere poterat, & Latiniſtice. Latiniſtica certe vocanda veniet dictio Latina Ebraizans, ſi Græcæ Ebraizanti nomen Helleniſticę imponemus. Cur denegabimus eam facultatem ſeptuaginta ſenioribus, Græcæ Bibliorum verſionis primis auctoribus, quam Hieronymo videmus obtigiſſe? Cum Ebraica Græce transferrent, idiotiſmos Ebraicos retinebant. Cum loquebantur Græce, puro eo ſermone utebantur, & ab Ebraiſmis repurgato. Multo magis id fas ſit opinari de Helleniſtis Actorum, qui Græce tantum ſciebant, non etiam Ebraice. Qui ideo diſtinguuntur ἀπὸ τῶν Ἑβραίων. Reliquos occidentalis Eccleſiæ veteres patres à ſtyli ſui genuina ac nativa proprietate non abſterruit aſſidua verſionis Latinæ Bibliorum Ebraizantis lectitatio. Sæpe, ut & Græci, locos ex ea citant, & ſcriptis ſuis inſerunt: ſæpe etiam utuntur loquutionibus inde petitis, aut eas alludunt. Non tamen peculiarem dialectum ſibi ex eius perpete lectione formaſſe videri poſſunt, cui nomen aliud ſit ponendum, quam Latinæ linguæ. Tertullianum ab Africani ſtyli genio verſio Bibliorum Latina non diſpulit. Nec Cyprianum Latine diſer-

diſertum & elegantem eſſe prohibuit opera quam impendit evolvendis Bibliis Latinis. Minus elegans minuſque Latinus Auguſtinus quam Hieronymus. Ambroſius quoque longe hoc inferior. Sed Hieronymus Latinitatem ſuam hauſit ex auctoribus qui Latine admodum ſcripſerunt. Auguſtinus & Ambroſius ea Latinitate uſi ſunt, quæ vigebat per ea tempora in ea regione in qua vivebant. De ſtylo Monachali aliud eſt, ut & de eorum patrum Latinitate, qui vixere ea ætate, qua Latinæ linguæ uſus inundatione Barbarorum in Italia peſſumdatus & pæne exterminatus iacebat. In aliam formam degeneraverat Romana lingua, & Italicæ pro Latina effigiem induerat. Quam corruptelam abhinc mille annis iam ævo Iuſtiniani cœpiſſe, teſtantur vetera inſtrumenta à Tabellionibus illius ſæculi excepta, Latino concepta ſermone, ſed plane ἐκβαρβαρωμένῳ. Clerici & Monachi, qui tum ſcribebant , vitioſam eam ſæculi ſui Latinitatem cum impura dictione Bibliorum coniungentes, nobis eum pepererunt Characterem Latinitatis, qui vulgo *Latiniſmus Breviariorum appellatur* , *& ſtylus Monachalis.* Quem ſi quis dialecti Latinæ ſpecialis appellatione donare vellet, & pro tali habere, omnibus eruditis ludibrium

debe-

deberet. Nec minus ergo deridendi, qui Helleniſticam peculiarem Græciæ dialectum nobis procuderunt, quæ quaſi caro Græca ſit, elixa an toſta, cum Ebraico condimento. Quærit porro pater eruditionum Hellenicarum pariter & Helleniſticarum, cur ab eorum Helleniſtarum nomine, qui ſic vocantur in Novo Teſtamento, vocari Helleniſtica non poſſit. Miror ego, eum non quærere, cur ſcriptura Novi Teſtamenti, quam volunt eſſe Helleniſticam, nullos Helleniſtas habeat amatores. Niſi dicunt, Apoſtolos, aut Apoſtolorum diſcilos, qui conſcripſere libros Novi Fœderis, fuiſſe Helleniſtas. Quod eos non dicturos eſſe, mihi perſuadeo. Sic Helleniſtas nobis obtrudunt qui nihil ſcripſerunt Helleniſtice. Quos vero Helleniſtice ſcripſiſſe contendunt, eos fuiſſe Helleniſtas, non poſſunt oſtendere. Quomodo ergo Helleniſticam ſuam cum Helleniſtis conciliabunt, aut ab his denominatam probabunt? Sic tamen pergit promicondus Helleniſticæ, & ſtomachum ſuum non poteſt diſſimulare contra Helleniſticæ rebelles, quos minimum abeſt quin pro perduellionibus traducat & accuſet. *Vt ingenue*, inquit, *fatear quod ſentio, ſummopere miror, tantum virum, quantus ſæculi Varro Salmaſius eſt, ita*

*ita præfracte* λογομαχεῖν. Iuſtiores ego mirandi cauſas habeo, tantum virum, quantus Heinſius eſt, ac in tantum Salmaſio maior, ut ſe ipſum facit, tam pertinaciter tueri tam prave fictum vocabulum, nulla veterum auctoritate comprobatum, nullo uſu receptum, cum re ipſa omni antiquitati inauditum. Si λογομαχία hic eſt ulla, tota ab eius parte venit, qui pro nugatorio & falſo nomine, tanquam pro aris ac focis pugnat: non ab illo oritur, qui nulla ratione factum contendit, & nullo modo convenire rei cui accommodatum eſt ab ineptis fictoribus. Cum emptor & venditor velitātur de nummo adulterino, quem qui emit, pretium mercis offert, qui vendit repudiat, penes utrum culpa eſt ac crimen λογομαχίας? Non recipit Salmaſius nomen, quod quaſi nummum improbum obtrudis, & recipiendum omni vi contendis: utrum ille, an tu λογομαχεῖς? *Concedit,* inquit, *Salmaſius, Ebraiſmis & Syriaſmis repletos eſſe ſcriptores* N. *Teſtamenti; quod nullis ſcriptoribus Græcis profanis convenit: & tamen non vult admittere, ut diſtinctionis ac differentiæ ergo peculiaris illa dialectus vocetur* Ἑλληνιστική. Non vult, dialectum illam vocari Ἑλληνιστικὴν, quia nec dialectum eſſe peculiarem concedit huiuſmodi elocutionem, qua

Novum Teſtamentum conſcriptum eſt. Stylus potius eſt, & eloquendi genus Græcum idioticum, ex Latiniſmis, Ebraiſmis, & Syriaſmis, & Macedoniaſmis, aliiſque barbariſmis concretum, cui appellatio Ἑλληνιστικῆς ita convenit, ut Corvo nomen Cygni. Si dialectum talem noviſſent antiqui, non ſine nomine eam reliquiſſent, ſed aliqua nota eam diſcreviſſent à reliquis dialectis. Latina Novi Teſtamenti verſio, quæ iiſdem ſcatet Ebraiſmis, & Syriaſmis, & Helleniſmos etiam inſuper habet admixtos, deberet ſimiliter aliquo nomine ſignari, & à pura ac meliore Latinitate diſtingui. Cur enim ea diſtinctionis nota opus ſit in verſione Græca, qua non indiget Latina, quæ tamen tam diverſa eſt à communi Latinitate, quam Græca illa differt à vulgari Helleniſmo? Iure ergo meritoque Salmaſius admittere noluit, Helleniſticam dialectum dici quæ dialectus non eſt, quæ ne ſi quidem dialectus eſſet, Helleniſtica foret nuncupanda, tam alieno nomine atque improprio. Nam recte idem Salmaſius cum aliis argumentis hoc etiam attulit, *Ebraiſmos non poſſe efficere, ut lingua aliqua ſit aut dicatur Helleniſtica.* Enimvero ſi id Ebraiſmi præſtarent, idem iuris eſſet Latiniſmis, Perſiſmis, Parthiſmis, Indiſmis, & omnium

omnium linguarum idiotiſmis. Quo pacto totidem exſurgerent Helleniſticæ, inter ſe differentes, quot ſunt linguarum proprietates ſingulis gentibus attributæ. His reſpondet Theſaurorum Helleniſticæ Comes, *iam reſponſum eſſe, Helleniſticam linguam ab Helleniſtis vocari, qui ea uſi fuerunt*. Sed iam repoſitum quoque eſt à nobis, Helleniſtas iſtos nihil ſcripſiſſe Helleniſtice quod oſtendi poſſit. E contrario Helleniſticam iſtam linguam quæ in Novo Teſtamento oſtenditur, non habere auctores Helleniſtas. Sic habemus Helleniſtas ſine Helleniſtica, & Helleniſticam ſine Helleniſtis. Si Helleniſtæ non dant Helleniſticam, & eam dant qui non ſunt Helleniſtæ, quomodo vocari poſſit ab Helleniſtis Helleniſtica, non video. Viderint qui commenti ſunt, aut quibus commentum placet. Subiungit architectus Novæ linguæ: *Si valeret hoc Salmaſii argumentum, nullus Gallus Belgica oratione utens, dici poſſet Belgice loqui, quia admiſcet multas loquutiones, phraſes ac idiotiſmos Gallicos, quæ orationis forma ac quaſi anima ſunt.* Haud poterat aliud afferre vir diſertiſſimus & ingenioſiſſimus, ſi confirmandum Salmaſii ſuſcepiſſet argumentum. Maxime illud valere, hoc eius reſponſo probatur, & exemplo. Iudæus Græce loquens, & ad-

miſcens Ebraicas phraſes & idiotiſmos, nihiloſecius ἑλληνικῶς loqui intelligitur, & ἑλληνὶς vocatur oratio qua utitur. Sic ſeptuaginta interpretes, qui Biblia in Grçcum vertendo, ſervarunt eloquutiones Ebraicas, verbis Græcis tantum redditam, nihilominus in Græcum ſermonem ea tranſtuliſſe ab antiquis dicuntur. Nam & Ioſephus, εἰς τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενα γλῶσσαν Biblia dicit. Irenæus εἰς ἑλληνικὴν διάλεκτον. Clemens, εἰς ἑλλάδα γλῶσσαν. Epiphanius, εἰς ἑλλάδα. Ita omnes qui de ea verſione loquuti ſunt. Nemo ἑλληνιστικήν, *Helleniſticam*, eam dialectum appellavit, in quam tranſlata fuerunt ex Ebræo Biblia, ſed ἑλληνικὴν, id eſt, Græcam. Aptemus his exemplum à Magnifico Heinſio allatum. Gallus Belgice loquens, etiam ſi Gallicos idiotiſmos immiſceat loquutioni, Belgica tamen oratione uti poteſt dici. Nec neceſſe eſt fingere aliquod nomen, quo dialectus illa exprimatur, qua Gallus iſte utitur in Belgica oratione γαλατίζων. Ergo valet Salmaſii argumentum, dicentis, Ebræum Græce ſermocinantem, & verbis Græcis idiotiſmos Ebraicos exprimentem, Græce tamen perorare, nō Helleniſtice. Infeliciſſimus ſæpicule eſt vir alioquin ingenioſiſſimus, in reſpondendo,

ſpondendo, partim quod nihil ad rem facit, partim quod contra ipſum. Cum omnia ſibi contraria allegarit, cum nihil eorum refutaverit quæ Salmaſius obiecerat, quaſi re bene geſta, & deviɛtis hoſtibus, ita concludit: *Quid reſtat ergo, niſi, ut ſtatuamus, Salmaſium aut animi gratia, aut exercendi Heinſioli (ſic ipſe vocat ingenioſiſſimum virum) ergo, in diſſertatione de lingua Helleniſtica voluiſſe* λογομαχεῖν. Non ſic notus eſt Salmaſius, ut non ex animi ſententia, ſed ludicri exercitii gratia, eam diſſertationem ingreſſus videatur. Præterea quæſtio ipſa non tam levis eſt, ut tanquam de re nihili agitata in ſolis verbis conſiſtere videri queat. Id ſi eſſet, non magis tamen λογομαχεῖν cenſeri poſſit Salmaſius, quam pulcher Heinſius. Vocabulum perverſe ac præpoſtere formatum totis viribus iſte propugnat. Salmaſius ſimpliciter rectum eſſe negat, ut contra omnem auctoritatem, omnemque rationem fictum. Iam quantivis eſſe momenti hanc controverſiam, vel ipſo teſte convincam, qui λογομαχίαν hic eam appellat. Cum ultimam hanc paginam in libri ἐσχατοκολλίῳ exararet, non meminerat eorum quæ in πρωτοκόλλίῳ ſcripſerat, his totidem verbis: *Si enim Salmaſius evicerit, Chimæris ac Centauris linguã hanc accenſendam*

 *eſſe,*

*eſſe, Dominus Heinſius non olei operæque tantum decoctor iure meritoque poteſt haberi, verum pleræque etiam Obſervationes in* N. T. *eruditis nugis, laborioſiſque gloſſariis, mortuariis non ſolum ab æmulis, verum ab iis quoque , qui ingenium eius hactenus ſuſpexerunt, accenſebuntur.* Ideo in eadem pagina dixit , *quæſtionem hanc neque inutilem, neque curioſam eſſe putandam.* Ego vero vel in primis neceſſariam iudico, ſiquidem tot præclararum obſervationum & interpretationum, quas in Novi Fœderis Tabulas incomparabilis Heinſius edidit, momenta ab ea pendent, ſtatura aut caſura, ſtante aut cadente Helleniſtica. In huius dialecti Spiritu vita vertitur & fama earum expoſitionum. Nam ſi exanimalem eam fecerit dialectum Helleniſticam Salmaſius, non flocci erunt facienda magna pars illarum ſacrarum in N. T. exercitationum. An λογομαχεῖν hoc loco vocabit, de tanta re diſputare? Deinde non de verbis tantum quæritur, ſed de re ipſa. Non enim agitur, an Helleniſtica, vocanda ſit dialectus qua concepta eſt Novi Fœderis ſacra pagina, ſed an omnino dialectus ſit peculiaris, accenſenda Græciæ dialectis. Non igitur, *antiquorum Stoicorum more, verbis ea negat quæ toto animo concedit* Salmaſius, ut ei hic obprobrat eruditorum do-

ctor

ctor Heinſius. Concedit ille, quod nemo unquam negaverit, Ebraiſmos eſſe in ſacra ſcriptura, quæ Græce converſa eſt ex Ebræo. At negat dialectum ullam huiuſmodi peculiarem Græcis cognitam fuiſſe, quæ mixta eſſet ex Græcis verbis, & Ebraicis eloquutionibus: dialectorum quippe differentia, ac varietas non conſtat eloquutionibus ac phraſibus, ſed multo magis ſingulis vocabulis. Quod infra pluribus demonſtrabitur. Dolet Heinſio, ſe Heinſiolum alicubi à Salmaſio appellatum. Quam iniuriam ut amoliatur, ingenioſiſſimum virum eum eſſe dicit, qui Salmaſio Heinſiolus ſit. Quaſi vero non poſſit in uno ſubſiſtere ingenium ingens, & parva ſtatura? Quod corpori detraxit Salmaſius, per me licet addatur animo, & gigas iſto ſtatuatur, qui animæ folliculo fuerit nanus. Cum Auguſtus Horatioli ſui corpuſculum ſextariolo comparabat, non ingenioſum eum negabat. Vividior vis ingenii plerumque exiguo corporis modiolo continetur.

*Talis Lartiades, talis & Heinſiades.*

Heinſiolum vocaſſet Salmaſius Phœniculum ſæculi ſui, Eruditorum Regaliolum, Eloquentium Luſciniolum, flebilibus modulis incõſolabiliter gementẽ, non Hylę fa-

ta, non Hermegardis ſuæ, ſed amiſſam caram filiolam, gratam illam & amabilem puellulam, deliciolum ſuum, *Helleniſticulam* nomine, ereptam ſibi grandi facinore Salmaſii, magni viri, ſed Heinſiolo minoris.

Finis Funeris.

Google

# OSSILEGIUM HELLENISTICÆ,

*Sive*

# APPENDIX

AD

## Confutationem Exercitationis

DE

HELLENISTICA.

FUneratæ, combuſtæ Helleniſticæ, bonæ fœminæ, ſed dum viveret, lingua factioſæ, cum iam cinis & fabula ſit, quid aliud reſtat quod eius honori præſtare poſſimus, niſi, ut oſſa legamus, & in urnam condamus? Cum ſane apud me quærerem, ecquid loci ſupereſſet, ubi hærere & caput exerere poſſet talis Bellua, nuper in hunc orbem delata, in mentē venit, vivere adhuc viros eruditiſſimos, quibus illius monſtruoſæ dialecti novitas arrideret. Occurrebat protinus & colloquium familiare ante annum, cum amico viro, Græce Ebraiceque doctiſſimo, ſuper hac quæſtio-

ne habitum. In eo ſermone agitatum inter nos memini, utra plauſibilior videretur, Salmaſiana ſententia, an Heinſiana. Hanc pro inſana circumducendam putavit Salmaſius, ille alter, cum quo diſputabam, pro ſaniſſima veriſſimaque habebat. Prodierat tum haud ita pridem præfatio Salmaſii, libro de Modo Uſurarum præfixa, ubi hanc controverſiam exagitavit, & Helleniſticam nuſquam patitur conſiſtere, nec re, nec nomine. Varia eo tempore experta eſt hominum iudicia eiuſmodi diſſertatio, prout humanus captus & guſtus. Sic in multorum approbationem incidit, & in aliorum reprehenſionem. Ex iſtis fuit ille quem dixi, vir in Græca litteratura conſummatiſſimus, & in linguarum Orientalium cognitione adprime verſatus. Ita nobis altercatio nata, cum ille contra Salmaſium conſiſteret, ego pro eo ſtarem. Rationes quibus tum impugnabat Salmaſii ſententiam, referamus hic, & refellemus perinde, ut eas memoria non fallax ſuggeſſerit. Ita mordicus Heinſii opinioni adhæreſcebat, ut ſe ab ea dimoveri non poſſe fateretur, niſi ſolidiora ac validiora argumenta proferrentur, quam quæ à Salmaſio allata in illa præfatione eſſent. Aiebat tamen, haud ita contrarium Helleniſticæ ſibi viſum eſſe Salmaſium,

maſium, ac primo putarat, nondum viſa eius diſſertatione. Fateri enim Salmaſium, ſacros auctores Græciſmo uti valde impuro, utpote ex Ebraiſmis & Syriaſmis mixto, & idiomate præterea Græco ſpeciali Macedonum, quod in Syria, & Aegypto, ab Alexandri temporibus, ſub eius ſucceſſoribus, Syriæ & Aegypti regibus, uſque viguiſſet. Arbitrari ſe, non aliam eſſe Druſii, Heinſii, & aliorum Helleniſticariorum de Helleniſtica mentem, nec aliud eos nomine Helleniſticæ intelligere, quam quod Salmaſius ſentiret. Ad hæc ego reſpondens, ſubiiciebam, immenſis ſpatiis diſtare hominum illorum & Salmaſii de hac imaginaria lingua, quæ Helleniſtica vocatur, ſententiam. Druſium & Heinſium, & quotquot Helleniſticæ eſſent aut repertores aut aſſertores, nuſquam meminiſſe dialecti illius Macedonianæ, & Alexandrinæ, cuius tamen frequens occurreret mentio in ſcriptis veterum Criticorum. Nihil ſciviſſe nec audiviſſe de ea dialecto doctos illos homines, cum de nomine Helleniſticæ procudendo cogitarunt. Præterea illos ipſos eius defenſores ac patronos, non inter ſe convenire de finibus quæ illi linguæ tribuendi forent. Heinſium ditionem eius ultra Garamantas & ἰνδοὺς promoviſſe, totumque Orien-

Orientem, atque etiam Occidentem, ei aſſignaſſe. Omnes quippe Iudæos exules, quocunque terrarum angulo habitarent, linguam eam habuiſſe communem, & familiarem. Alius quidam opinatus eſt, non ſolum Iudæos, ſed omnes Orientales, qui Græce loquerentur, ei loquelæ aſſueviſſe, nec aliud idioma noviſſe. Helleniſticam, illam celeberrimam & uſitatiſſimam in omnibus Orientis provinciis fuiſſe. Vides, inquiebam, non Syriæ aut Aegypti terminis eam dialectum ab illis includi. Vides, non ex ſolis idiotiſmis Macedonicæ & Alexandrinæ dialecti eam quam nominant Helleniſticam conſtare, ſed etiam ex Ebraiſmis, Syriaſmis, & Latiniſmis. Dialecti omnes ſimplices ſunt, non ex variis dialectis compoſitæ. Dialectus igitur non eſt, quæ ex multis pannis dialectorum conſuta & quaſi cento conſarcinata eſt. Non alia ratione Grammatici quidam veteres negarunt, communem ἑλλωνικὴν eſſe διάλεκτον, quam quod ex reliquis quattuor contexta videretur. Nihil, inquiunt, ea lingua habet proprium, ſed tanquam compoſitio medica, quæ vocatur Tetrapharmacum, ex quattuor ſimplicibus medicamentis conſtans, nihil proprii habet. Οὕτω δὲ ἡ κοινὴ διάλεκτος, ἐκ τεσσάρων συναρμοσθεῖσα,

οὐκ

οὐκ ὀφείλει συναριθμεῖσθαι ταύταις. *Sic & communis dialectus, ex reliquis quattuor coagmentata, non debet iis adnumerari.* Quis unquam ſcripſit antiquorum, ab Homero conditam peculiarem dialecton, quæ à reliquis Græciæ dialectis diſtinguenda eſſet, & diſtinctionis ac differentiæ ergo proprio aliquo nomine ſignari deberet? Sane ille varia elocutione uſus eſt, & miſcella, ex omnibus quæ in Græcia vigebant dialectis coalita & concreta. Nemo tamen eam dialectum ſpecialem eſſe ſenſit in aliarum cenſum deferendam. Quis igitur accenſendam putabit dialectis Græciæ eam ſeptuaginta interpretum dictionem, quæ ex variis idiotiſmis compaginata eſt, Syrorum, Ebræorum, Macedonum, Alexandrinorum, idiotarum, atque etiam Latinorum? Nam & Helleniſtica conſcriptum eſſe volunt Novum Teſtamentum, in quo plurimę voces & loquutiones Latinæ reperiuntur. Præterea dialecton illam miſcellaneam, & ex tot idiomatis concinnatam, ut nullo auctore, ita nullo iure, nulla ratione, *Helleniſticam* vocarunt, cum omne quod Græcum non eſt, ἀνελλήνιστον Græci Critici ſoleant appellare. His poſtremis ita ille occurrebat. Poſito, quod male nominata ſit hæc dialectus, litem tantum eſſe de nomine.

Quam

Quam quæſtionem haud magni momenti videri. Modo enim conſtet, & cõveniat inter omnes, quod Græca dictio ſeptuaginta interpretum alia ſit à vulgari, & dialectum conficiat peculiarem, ac diverſam ab reliquis dialectis, cuius eloquendi formulæ explicentur ex comparatione locorum, per Syriacum aut Ebraicum idiomá potius, quam ex libris Græcorum auctorum, nihil plane referre quomodo illa dialectus appelletur. Quid enim, addebat, contendimus verbis, cum de re conveniamus? Minime, inquam, quod ſtatim tunc opponebã, de re ipſa cõſentimus. Vos dialectum vultis eſſe propriam ac peculiarem, λέξιν illam qua uſi ſunt ſeptuaginta interpretes: nos negamus. Prius ergo convenire debet de re ipſa, an dialectus ſit., tum videndum erit de nomine, an rei cui impoſitum eſt, conveniat. Dialectum non eſſe, nec accenſeri dialectis debere, iam docuimus, id eloquutionis genus, quod non ſimplex eſt, ſed ex pluribus dialectis & idiotiſmis commixtum. Si communis lingua Græca, non videtur antiquioribus Grammaticis nomen dialecti mereri, quam proinde nec quattuor reliquis dialectis cenſent adnumerandam, multo minus in hunc cenſum numerumque Græcanicarum dialectorum adgregandam

gregandam crediſſent hanc Helleniſticam. Non enim minus compoſita eſt, quam illa Græca. Sed quod longe magis facit ad eam excludendam è numero dialectorum Græcarum, ex multis idiotiſmis, & vocabulis minime Græcis, contexta eſt; Alexandrina, Latina, vocabula multa habet, plura idiotica, innumeras phraſes Ebraicas & Syriacas. Colluviem & congeriem tot idiomatum atque idiotiſmorum peregrinorum, & barbarorum, & à lingua Græca in totum alienorũ, quis dialecti Græcæ donaret appellatione, cum ipſa cõmunis Grȩca ex quattuor dialectis Græcis ζυναρμοσθεῖσα, hac appellatione videatur indigna ob ſolam compoſitionem? Poſtremo huius ficticiæ dialecti nemo veterum meminit, nemo eam nominavit. Cur eam igitur pro dialecto haberemus, & quidem Græca, quæ Barbarica eſt potius, & quam tota antiquitas ignoravit, vel ipſis id fatentibus Helleniſticariis? Tametſi porro liqueret, dialectum eam duci dicique oportere, de nomine tamen eius haud inutilis nec ſuperflua eſſet quæſtio. Si nomen eius apud veteres inveniretur, nunc non eſſet laborandum, quomodo appellanda veniret, quam conſtaret ita recte eſſe appellatam, quia veteres ſic nuncupaſſent. Nihil referre dici-
tis,

tis, quo nomine nuncupata ſit. Ego vero multum. Et iam hoc tibi oſtendam. Helleniſticam nominaſtis, & nihil intereſſe affirmatis, utrum hoc nomine potius an alio noſcitetur. Maneat interim hoc illi nomen, donec viderimus, an iſtud eam magis deceat, quam aliud quodlibet, & an interſit ſic potius quam aliter appellari. Cum auctore, qui Ionice ſcripſit, legenti occurrit mihi aliquod vocabulum, aut aliqua phraſis, quæ propria ſit Ionicæ dialecti, nec communis cæteris, ego quæro apud eos qui de Ionicæ dialecti idiomate ſcripſerunt, aut qui gloſſemata illius dialecti interpretati ſunt. Idem facio cum lego ſcriptorem Aeolicum, aut Doricum, aut Atticum. Proprietates earum dialectorum à multis antiquorum ſcripto conſignatæ ſunt, ad quos recurrere licet, quoties mihi ſcire uſus eſt, quid hoc verbum apud Aeolici generis auctores ſignificet, qua notione ſumatur illud apud Atticos aut Ionicos aut Doricos. De Helleniſtica, nullius mihi eiuſmodi ſubſidium ad manum eſt, pervolutanti illos ſcriptores, quorum propriam eam eſſe dialectum vultis, quam ſic vobis placuit nominari. Si evolvam Novi Teſtamenti libros quos me docueritis eſſe ſcriptos dialecto Helleniſtica, cum in aliqua voce hæſero,

quis

quis me expediet? Ubi quæram Grammaticos, qui mihi tradant idiomata & gloſſas huius dialecti? Quid ſi Latine neſciam? An non plures Græci Teſtamentum Novum hodie legunt, Latinæ linguæ ignari? Cum voces Latinæ in illis libris occurrent quas in auctoribus Græcis non inveniam, ut πίτλος, φραγέλλιον, λῶρον, λέντιον, κουστωδία, σουδάριον, ἀσσάριον, δηνάριον, quid faciendum mihi erit? Unde petam auxilium? An ab Helleniſtica dialecto, ut ex eius idiotiſmis illa mihi explicanda curem? Atqui hæc ſunt ex Romana lingua. Ergo Romana lingua pars eſt ac membrum ex multis unum, quibus componitur lingua Helleniſtica. Nihil igitur habet proprii. Quid poſtea? Si phraſes Syricæ, & Ebraicæ, in conſpectum ſe legenti dabunt, neſcienti Ebraice, & Syriace, ſed perſuaſo de dialecto, illa omnia eſſe Helleniſtica, quo confugiam? Ubi inveniam illam Helleniſticam, quæ me doceat quod ignoro, & inſtruat me de proprietatibus loquendi ſibi familiaribus? Ebraicæ potius ac Syriacæ linguæ opem implorare debebo, ut eorum idiomata in hac ſcriptione intelligam. Ergo Ebraiſmi, & Syriaſmi, partem quoque faciunt illius Helleniſticæ veſtræ. Cum in Veteri Teſtamento, & verſione τῶν ſeptuaginta, vo-

 cabula

cabula aliquot ſub oculos incurrent, quæ Græca quidem videantur, ſed in alio ſignificatu poſita ſint quam quomodo Græci auctores illa ſolent accipere, quo me vertam? Ecce ἀδολεσχεῖν pro meditari & exercere in ea verſione ponitur, νεῖκος pro victoria, παρεμβολὴ pro exercitu. Nihil horum Græcum eſt, eo ſenſu; cum tamen vocum illarum Græca ſit forma, & Græcis uſitata ſint, ſed alio intellectu. Ad quam dialectum me recipiam, ut propriam earum dictionum ſignificantiam ex ea percipiam? An ad Helleniſticam? Nullibi gentium illa moratur, nec à quoquam memoratur. Quid ſi ex antiquo aliquo docear, illa eſſe idiomata dialecti Alexandrinæ, vel Macedonicæ? Huic ſane accepta ea referam, non Helleniſticæ? An Macedonica dialectus pes aut caput eſt Helleniſticæ? Pars erit certe eius aliqua, ex his quæ totam concinnant. Infinita vocabula extant, & phraſes innumeræ in utroque Teſtamento, quas pro Helleniſticis habent, qui Helleniſtica confectos utriuſque fœderis libros cenſent, quæ tamen in Græcis ſcriptoribus paſſim occurrunt. Hæc Ἑλληνικὰ cum ſint pura ac ſincera, ſi aliqua difficultas in his exponendis, ut ſæpe fit, mihi obiiciatur, an ad Helleniſticam me conferam, ut eorum intellectum me

me doceat? Ad Ἑλληνικὴν potius ibo, & qui ea dialecto libros compoſuerunt, optimos nimirum Græciſmi auctores, quam ad illam quæ nuſquam eſt, nulla eſt, & à nullo nominatur. An Ἑλληνική, & communis Græca lingua, partem faciet dialecti Helleniſticæ? Ita oportet, & quidem maximam. Nam maxima ex parte verſio ſeptuaginta interpretum verbis Grecis concepta eſt, &, paucis exceptis, quæ idiomatis Macedonici propria ſunt, reliqua ferme omnia pure Ἑλληνικὰ ſunt, formatione & notione. Si tota illa verſio Helleniſtice conſcripta eſt, ut cenſent Helleniſticarii, ἡ κοινὴ Ἑλληνικὴ pars fuerit τῆς Ἑλληνιστικῆς. Vulgus Græciæ, multos habuit uſitatos idiotiſmos, & de trivio petitas loquendi formulas, quæ politis & elegantioribus auctoribus in uſu non erant. In omnibus linguis hoc idem obtinuit, ut honeſtiores doctioreſque, alio quaſi loquendi genere uterentur, quã plebs ipſa, & fæx opificum. Hoc ἰδιωτικὸν & χυδαῖον dicendi genus tam in ſingulis vocabulis quam coniunctis, ab elegantium & urbanorum hominum ſermone ſeiunctum, frequens eſt in utroque Teſtamento. Inde ſunt περπερεύεσθαι, ἐγκομβώσασθαι, ῥαπίζειν, ἀπέχειν pro habere, βασανίζεσθαι, μάστιξ, συμβούλιον, εὐδοκία, μαλακία, κατηχεῖσθαι,

& alia infinita, de quibus alibi erit dicendum. Ut eorum eruam veram intelligentiam, fruſtra auctores qui Græce aut Attice ſcripſerunt requiram. An Helleniſtica dialectus præſto erit, quæ omnia illa ex ſuo penu mihi depromat? Nullo modo, utpote quæ nec ipſa, quare ita vocitata ſit, mihi poſſit indicare, aut nominis ſui vim recte explicare. Ex pluribus itaque idiomatis dialectorum & idiotiſmis compoſitam, & collativo ventre ſuffarcinatam eloquutionem, quare Helleniſticam auctoribus eius vocare placuerit, prorſus ignoro. Nomina rebus ponuntur, ut eorum naturam & proprietatem declarent, & quid ſint qualiave ſint definiant. Cum audio nominari dialectum Ionicam, omnes eius proprietates ſtatim menti incidunt, quibus à reliquis dialectis diſcernitur. Cum mihi dicitur hoc vocabulum Ionicum eſſe, protenus intelligo, non eſſe Atticum, nec Aeolicum, nec Doricum. Cum rurſus Ἑλληνικὸν hoc nomen auctor aliquis aut Grammaticus, vel λεξικογράφος, vel gloſſarum ſcriptor, mihi notat, ab Attico differre, eo ipſo colligo. Sic Mœris Atticiſta, vocabulorum Atticorũ & Ἑλληνικῶν ſignificationem diſcernit. Cum Ἑλληνιστικὴν λέξιν aliquis nominat, quã vim habeat, neſcio, aut unde petenda ſit eius vocis

vocis interpretatio, utrum ex Ebræis, an Syris, an Macedonibus, an Græcis vulgaribus, an Latinis. Ipſam dialecton ſi quando nomen eius dici audiam, quare ita vocetur, attonitus ſtupeſco, quia neſcio. Nec ab eius nomine certus fio de eius qualitate ac proprietate. Et cum plures habeat, utpote ex multis compoſita, proprietates, ne unam quidem ex omnibus, eius appellatio ſignanter exprimit, nec omnes ſimul. An propter Ebraiſmos ſic vocatur? Non id nomen ſonat. An propter Syriaſmos? Nec ea vis eſt nominis. Numquid Alexandrinæ dialecti idioma, vel Macedonicę, hanc illi denominationem conciliavit? Ne id quidem. At forte quod Græcis verbis tota fere contexitur, hoc nomen invenit. Aliud eſt Ἑλλωνικὸν, aliud Ἑλληνιστικόν. Si idem eſt, iam peculiaris hæc dialectus non eſt ullorum Helleniſtarum, ſed communis omnium Ἑλλήνων, ſive Græcorum. Multo minus propter latinas loquutiones appellationē eam nacta eſt. Quod ex omnibus illis contexta ſit, fortaſſean, ſic nominata eſt. Nihil minus. Aliquo ſaltem nomine notari debuit, quod mixturam eius denotaret, & compoſitionem. Sic Ἑλλωνικὴ vocatur κοινὴ διάλεκτος, quia communia multa habet cum reliquis dialectis, & nihil ferę pro-

prii. Si antiquitus ita vocata eſſet hæc Helleniſtica, ferremus propter antiquitatis reverentiam. Nunc cum novitium ſit nomen, & inſcite factum, nec rei cui inditum eſt, conveniens, quis ferre illud ſine nauſea poſſit? Aeolica dialectus ab Aeolibus, qui ea uſi ſunt, nominatur: Attica ab Atticis: Ionica ab Ionibus; Dorica à Doribus. Iſta Helleniſtica à quibus? Ab Helleniſtis, inquiunt. Cuius gentis hoc nomen? Cuius regionis inquilina hæc gens? Quæ natio unquam tali dialecto uſu eſt, mixto ex Ebraiſmis, Syriaſmis, Macedoniaſmis, Latiniſmis, & Helleniſmis? Toto orbe diſperſi iſti Helleniſtæ quomodo conſtantem ſibi & uniformem potuere habere dicendi colorem? Certe Helleniſtica Perſarum etiam Perſiſmos habere debuit, Armeniorum Armeniaſmos, Indorum Indiſmos. Atque ita de cæteris. Alia eſt etiam Helleniſtica Novi Teſtamenti, alia veteris. Iſta enim Latiniſmis caret; qui in illa ſunt. In Novo ipſo Teſtamento variant Helleniſticæ. Alia eſt Matthæi, alia Iohannis, & reliquorum Euangeliſtarum. Illa plures Ebraiſmos habet, iſta pauciores. Lucas etiam alia Helleniſtica utitur quam Paulus. Iſte quoque ad Ebræos ſcribens, non eodem ſtylo eos alloquitur, quo in cæteris Epiſto-

lis

lis uſus eſt. Deinde quod magis ad rem facit, nemo eorum Helleniſta fuit, non Paulus, non Lucas, non Iohannes, non Matthæus, non Petrus, nemo denique ex Apoſtolis, nec quiſquam eorum qui Novi Teſtamenti libros condidere. Nec magis Helleniſtas conſtat fuiſſe qui verſionem Biblicam ediderunt. Unde igitur, & à quibus dicta iſta Helleniſtica, quæ nullos habuit auctores Helleniſtas? Quærere itaque debent præſtantiſſimi viri aliam Helleniſticæ denominandę rationem aut originem, cum illa Helleniſtica, qua ſcriptum fuiſſe volunt utriuſque fœderis paginam, ad ſcriptores referri non poſſit Helleniſtas, quia Helleniſtæ non fuerunt neque Veteris neque Novi Teſtamenti conditores. Cum Ἑλληνιστὴς autem omnem qui Græco ſermone utitur ſignificet, cuiuſcunque nationis ſit, non poteſt, ut iam dixi, nomen Ἑλληνιστικῆς, quaſi propriȩ ac peculiaris dialecti, ab eo formari, quia lingua ἑλληνὶς eſt, & Ἑλληνικὴ, quam omnis Helleniſta proloquitur. Ex his liquet, multum referre, quo nomine nuncupetur dictio verſionis quam dederunt ſeptuaginta interpretes. Nihil enim nos iuvat hæc eius ficticia & inepta appellatio, ad eruendam rei ipſius, quæ hoc nomine ſignata eſt, proprietatem & qualita-

 tem.

tem. Qua nota ſi nomen careat, nihili eſt, & præſtaret, factum non eſſe, quam falſam viſionem, & à ſubiecto alienam, de re, cui declarandæ poſitum eſt, obiicere. Quis enim audito τῆς Ἑλλωνιστικῆς nomine, non ſtatim imaginatur, maxime Ἑλληνικὴν, & pure Ἑλλωνίζουσαν dictionem, vel dialectum, ea voce deſignari? Nihil certe minus cogitabit, quam de eloquutione, Ebraiſmis, Syriaſmis, Latiniſmis, Macedoniſmis, & idiotiſmis, aliiſque barbariſmis, referta. Hæc cum ita ſint, dicebat tamen vir ille Eruditiſſimus, ſe non poſſe percipere, cur Salmaſius eam dialectum crederet male nominatam eſſe Helleniſticam. Præcipuam hanc aiebat Salmaſii rationem, quæ ita ſentire eam cogeret: Non poſſe nimirum dici Helleniſtas, qui impuro Græco ſermone utuntur: Nec eam linguã vocari Helleniſticam, quę impurior ſit. Ἑλλωνιστὴν enim ἀπὸ τοῦ Ἑλληνίζειν deduci, quod eſt, Gręce loqui ſine vitio. Fatebitur is, quem dixi, vir, interdũ ſic accipi hoc verbum Ἑλλωνίζειν apud Græcos. Nam apud Athenæum lib. VI. ſcribi, τοὺς Ἑλληνίζοντας affirmare, dici oportere, τὸν ἀργυροῦν κόσμον, pro quo vulgus Græcorum ſoleret dicere, τὰ ἀργυρώματα, & τὸν χρυσοῦν κόσμον, quæ vulgo eſſent χρυσώματα. Hęc niſi fallor Athenæi Græca verba ſunt. Nam liber

ad

ad manum non eſt: οἱ ᾗ Ε'λλιωίζοντές φασι, δεῖν λέγειν, χρυσοῦν κόσμον, οὐ χρυσώματα, καὶ ἀργυροῦν κόσμον, οὐκ ἀργυρώματα. Ergo, οἱ Ε'λλιωίζοντες, ibi dicuntur purius & elegantiùs Græce loquentes. Addebam ego, id magis etiam probari ex eo, quod inter virtutes orationis Græcæ à Rhetoribus primo loco ponitur ὁ Ε'λλιωισμὸς, ſecundo σαφήνεια. Quintilianus eumdem ordinem ſequutus eſt, in præceptis tradendis oratori Latino. Nam primo tractavit de his quæ in elocutione ſpectanda, deinde de perſpicuitate. Prima ergo virtus Græcæ orationis, vel elocutionis, eſt Ε'λλιωισμός. Latinæ *Latinitas.* Nihil ergo aliud eſt Ε'λλιωισμὸς, quam, *ratio Græce atque emendate loquendi.* Vel ſi mavis: *Obſervatio incorrupte loquendi ſecundum Græcam linguam.* Latinitatem ſic liceat definire, quam ſi Græcæ vertere velles, λατινισμὸς eſſet. Ut Ε'λλιωισμὸν poſſis *Græcitatem* dicere. Tota elocutio, quæ Græca φράσις dicitur, vel Ε'ρμιωεία, ſpectatur in verbis aut ſingulis aut coniunctis. In ſingulis tradit Quintilianus intuendum eſſe, *ut ſint Latina, perſpicua, ornata.* In Græca oratione exigitur, ut ſint Græca. Hic eſt eorum Ε'λλιωισμός. Inde tres virtutes orationis tam Græcæ quam Latinæ ponuntur à Rhetoribus, Ε'λλιωισμὸς, σαφήνεια, & κόσμος.

T 5 At

At in coniunctis verbis requiritur, ut ſint emendata, ut collocata, ut figurata. Ergo Ἑλλωνιςμὸς, proprie in verbis ſingulis ſpectatur, ut nimirum Græca ſint, non peregrina, nec externa. Hinc vitium virtuti oppoſitum, eſt βαρβαριςμὸς, cum inſeritur Græcæ orationi nomen peregrinum aut externum, ut Ebræum, vel Syriacum, vel Perſicum, aut alterius gentis. Alio etiam modo committitur, detractione aut additione ſyllabæ, vel immutatione, in verbo Græco. Sed quocunque modo fiat, unius ſemper verbi vitium eſt. Huic contraria virtus Ἑλλωνιςμὸς in oratione Græca, unius etiam verbi cenſenda, cum pure Græcum eſt. Seleucus περὶ Ἑλλωνιςμοῦ librum compoſuerat, qui ſæpe ab Athenæo citatur. In eo de ſingulis vocibus, quæ Græci eſſent uſus, & originis Græcæ, tractabat. Ergo non βαρβαρίζει oratio Græca, niſi quę Barbaras & exoticas inſertas habet. E contrario Ἑλλωνίζει, cum ſolis Gręcis contexta eſt. Aliquando etiam Ἑλλωνιςμὸς in phraſi ſpectatur, qui tum, ut dixi ſupra, definiri poteſt, *ratio emendate & incorrupte utendi Græco ſermone*. De quo nos infra plura. Syneſius ita uſurpavit in Epiſt. CLIV. ὑπὸ νεανίσκων τινῶν, οἷςτισιν Ἑλλωνιςμοῦ τε καὶ χάριτος ἔμελε. Sic Ἑλλωνίζειν eſt, Gręce loqui

loqui ſine vitio. Hoc vir Græce doctiſſimus fatebatur, ſic interdum à Græcis ſumi; ſemper, negabat. Quinimmo, inquiebat, cum de ſermone agitur, nihil aliud id verbi ſignificat quam *Græciſſare*, id eſt, imitari Græcum ſermonem, ſive cum elegantia, ſive minus eleganter. Nihil hic de elegantia quærimus. Ea pertinet ad ornatum elocutionis, quæ alia virtus eſt ab ἑλληνισμῷ proprie ſumpto. In ἑλληνισμῷ tantum exigitur, ut Græcum ſit verbum, aut emendatus ad Græci ſermonis normam verborum contextus, vel complexus. Græci omnes non eleganter loquebantur, etiam qui pure & emendate loqui ſoliti erant. Nec ergo qui eos æmulabantur atque eorum ſermonem affectabant, ut dici poſſent ἑλληνίζειν, eleganter & ornate loqui oportebat, ſed ſatis erat ſi non vitioſe. Verba ſic formata, ut ante diximus, imitationis & æmulationis habent ſignificationem. Qui imitatur, quam minimum debet ab ea re, quam ſibi imitandam & exprimendam propoſuit, deflectere. Pictor in imitanda prototypi imagine, cuius apographum vellet depingere, ſi naſum Socraticum Cyro affingeret, aut Κύρειον Socrati, ridiculus eſſet. Qui linguam, veſtitum, & religionem Ἕλληνος imitatur, is ἑλληνίζειν dicitur. Si pecca-

peccabit in loquendo, contra leges ἑλλη-
νισμοῦ, non erit bonus imitator, ac proinde
malus erit ἑλληνιστής. Sic *Atticiſſat* qui At-
tice loquitur, ut Feſtus explicat. Inde *At-
ticiſta*. Si verbum minime Atticum in ſcri-
bendo quis uſurparet, non poſſet iure dici
Ἀττικίζειν. Ut oſtenderet vir doctus, non
ſemper ἑλληνίζειν id eſſe quod Salmaſius
docuerat, Græce nempe citra vitium loqui,
afferebat in medium Aeſchinis locum con-
tra Cteſiphontem, dicentis de illo quod eſ-
ſet ἀπὸ τῆς μητρὸς Σκύθης, βάρβαρος, ἑλληνί-
ζων τῇ φωνῇ, *à matre Scytha, barbarus, lingua
Græciſſans.* Non, inquit, eius mens fuit, ei
tribuere ſermonis Græci ullam elegantiam.
Fateor. Nec id ſane agebatur, aut quære-
batur, quam elegans eſſet in Græce loquen-
do Cteſiphon. Hoc tantum ibi voluit doce-
re Aeſchines, Cteſiphontẽ non fuiſſe Græ-
cum origine, ex parte matris, ſed Scytham
& barbarum, non Ἕλληνα, ſed ἑλληνίζοντα
τῇ γλώττῃ. Per hæc non aliud voluit, quam
eum de matre ἑλληνιστὴν fuiſſe, tantum non
etiam Ἕλληνα. Græce loquebatur Cte-
ſiphon; quis neget? Et quidem pure & e-
mendate. Et cum, eum ἑλληνίζειν τῇ φω-
νῇ dixit Aeſchines, ut elegantiæ gloriam ei
minime tribuit, ita nec vitium & corrupte-
lam Græci ſermonis eo verbo illi exprobra-
vit.

vit. Nec enim poteſt quiſquam Græce peritus dicere, ἑλληνίζειν eſſe, vitioſa, prava, & corrupta eloquutione Græca uti. Ut enim de duobus contrariis una eademque definitio non datur, ita uno eodemque verbo duo contraria non ſignificantur. Si ἑλληνίζειν eſt, Græce & emendate loqui, non poteſt contrariam habere notionem de vitioſa & inemendata eloquutione Græca. Inter miranda Phavorini Philoſtratus & hoc retulit, quod eſſet Γαλάτης ἑλληνίζων. Eodẽ ſane ſenſu Γαλάτης ἑλληνίζων appellatur Phavorinus Philoſtrato, quo Cteſiphon Aeſchyni Σκύθης ἑλληνίζων. Ab elegantia dictionis Grecę, & eloquentia, cõmendabitur Phavorinus: non hoc tamen ibi intellexit Philoſtratus, ſed mirandum eſſe in homine Gallo ἑλληνιςμὸν, id eſt, puritatẽ Græci ſermonis, vel ſi mavis, rectum uſum. Gallus homo nobis, loquens Græce, non mira res viſa eſſet. At recte loquens, id eſt, ἑλληνίζων, ſane admiratione dignus. Premebat & aliud ex Strabone teſtimonium, quo evincere contendebat, interdum Græcis τὸ ἑλληνίζειν, non eleganter loqui ſignificare, ſed contrarium. Nam Strabo lib. XIV. κακοστομίαν & βαρβαροστομίαν appellat, εἴ τις ἑλλνίζων μὴ κατορθοίη. Ex his clarum eſſe dicebat, ἑλληνίζειν non eſſe, cum elegantia loqui,

loqui, nam id quod ſequitur, contrarium innuere. Non percipiebam ſatis quid vellet. Nam quæ ſequuntur, *μὴ κατορθοίη*, non ſignificant, *τὸ* Ἑλληνίζειν, idem eſſe quod, in Græce loquendo ceſpitare, & in vitium incidere. Qui Ἑλληνίζων μὴ κατορθοῖ, id eſt, Græce loquens, vel in Græce loquendo, non recte nec emendate id facit, eo ipſo intelligitur non recte Græciſſare. Non ex eo tamen ſequitur, Ἑλληνίζειν, & Ἑλληνίζοντα μὴ κατορθῶσαι, idem eſſe. Si dixero, aliquem currentem cecidiſſe, non intelligo, idem eſſe currere & cadere. Si quis navigans naufragium feciſſe dicatur, non propterea navigare & naufragium facere eiuſdem ſunt ſignificationis. Cum quis Latine loquens ſolœciſmum aut barbariſmum commiſiſſe arguitur, nemo intelligit, Latine loqui, & ſolœciſmos vel barbariſmos facere, pro eodem poni. Mirabar, virum acutiſſimum, & doctiſſimum, tam aliena opponere. Non ſimpliciter in eo Strabonis loco Ἑλληνίζειν dicitur, cui *κακοστομίαν* & *βαρβαροστομίαν* attribuit, ſed cum adiuncto, Ἑλληνίζοντα οὐ κατορθοῦν, id eſt, Græce loquentem, non recta id facere. Idem prorſus eſſet, ſi dixiſſet, οὐκ ὀρθῶς Ἑλληνίζειν, aut *κακῶς* Ἑλληνίζειν. Nam ſane qui Ἑλληνίζων οὐ κατορθοῖ,

οὐκ

οὐκ ὀρθῶς Ἑλληνίζει, atque etiam κακῶς Ἑλ-λωνίζει. Præterea non videtur percepiſſe mentem Strabonis, nec intellexiſſe quid nomina illa apud eum denotant, βαρβαροστομίας, & κακοστομίας. Non enim per βαρβαροστομίαν intellexit Strabo vitium, quod βαρβαρισμοῦ nomine ab aliis ſignatum eſt, cum barbaræ & peregrinæ voces orationi Græcæ interſeruntur, ſed vitium oris, quo quis Græca perperam ac barbarice pronuntiat. Κακοστομίαν quoque non pro ſermonis vel elocutionis vitio poſuit, ſed ita vocavit quod opponitur τῇ εὐστομίᾳ, vel ὀρθοστομίᾳ, rectæ ac rotundæ planæque pronuntiationi. Poteſt ergo quis βαρβαροστομεῖν, & κακοστομεῖν, & tamen in verbis & eloquutione Ἑλλωνίζειν, id eſt, Græce loqui. Sic qui barbarorum more male Græca & abſone pronuntiat, Ἑλληνίζων, id eſt, Græce loquens, Græcis verbis utens, μὴ κατορθοῖ, non conſequitur illam ὀρθοέπειαν, quam Græci vocant. Quæ à Quintiliano Latine explicatur, *emendata cum ſuavitate vocum explanatio. Nam ſic*, inquit, *poteſt recte definiri.* Huic ergo ὀρθοεπείᾳ, ſive rectæ cum ſuavitate vocum explanationi, contraria ſunt vitia βαρβαροστομίας & κακοστομίας, quę accidunt, cum quis Ἑλλωνίζων οὐ κατορθοῖ, id eſt, οὐκ ὀρθοεπεῖ. De his vitiis intel-

intellexit idem Quintilianus, cum ſcripſit lib. 1. cap. v. in hæc verba: *Et illa per ſonos accidunt, quæ demonſtrari ſcripto non poſſunt, vitia oris & linguæ, ἰωτακισμοὺς, & λαμβδακισμοὺς, ἰσχνότητας, & πλατειασμοὺς, feliciores fingendis nominibus, Græci vocant. Sicut κοιλοστομίαν, cum vox quaſi in receſſu oris auditur. Sunt enim proprii quidam, & inevitabiles ſoni, quibus nonnunquam nationes deprehendimus. Remotis his omnibus quæ ſupra diximus, vitiis, erit illa quæ vocatur ὀρθοέπεια.* Illi igitur ſoni in pronuntiandis Græcis agreſtiores, & barbarici, quibus nationes deprehendebantur, efficiebant illam βαρβαροστομίαν & κακοστομίαν Strabonis, quę tum contingit, cum quis Ἑλληνίζων μὴ κατορθοῖ, non recta explanatione vocum utitur in Gręce loquendo, ἐν τῷ Ἑλληνίζειν. Neque hæc vitia oris & linguæ, impediebant ne quis puro ſermone Græco uteretur. Quod eſt Ἑλληνίζειν. Sic Adrianus, cum quæſtor orationem imperatoris in ſenatu agreſtius pronuntians, deriſus eſſet, ad ſummam peritiam & facundiam poſtea Latinis operam dedit, teſte Spartiano. Erat illa oratio Latina, ſed ruſtice aut barbare pronuntiata eſt ab Adriano, qui erat Hiſpanenſis, non Romanus. Locum Strabonis non aliam recipere interpretationem; ſi legatur to-

tus,

tus, oſtendit. Sermo ibi eſt de Caribus, quos βαρβαροφώνους Homerus appellavit. Quo ſenſu ſic ab eo appellati ſint, explicat. Ab initio dicit hanc vocem βάρβαρος de his factam eſſe, qui non plane nec expedite verba pronuntiãt, ſed pinguiore ſono, & aſpero. Ἐπὶ τῶν δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς, καὶ τραχέως λαλούντων. Quomodo fere ſolent omnes exteri loquutiones linguæ ſibi alienæ & non vernaculæ efferre. Sed nec Græci melius Extraneas voces proferunt quam Extranei Græcas. Hæc κακοστομία eſt, ac βαρβαροφωνία, ut ipſe explicat ibidẽ Strabo, Εἴ τις ἑλληνίζων μὴ κατορθοίη, ἀλλ' οὕτω λέγει τὰ ὀνόματα, ὡς οἱ βάρβαροι οἱ εἰσαγόμενοι εἰς τὸν ἑλληνισμὸν, οὐκ ἰσχύοντες ἀρτιστομεῖν, ὡς οὐδ' ἡμεῖς ἐν ταῖς ἐκείνων διαλέκτοις. *Si quis in Græce loquendo non recte id faciat, ſed ita voces efferat, ut ſolent barbari qui Græce loqui incipiunt, dum verba integrare, & plane pleneque pronuntiare non poſſunt, ut nec nos poſſumus in eorum dialectis exprimendis.* Ita ergo olim vocabulum βάρβαρος Græci accipiebant. Poſtea de iis, qui diverſa dialecto in totum uterentur, id uſurparunt, & ſic hoc nomine quaſi ad gentes diſcernendas ex linguis ficto, omnes, qui Græci nõ eſſent & Græco non uterentur ſermone, appellarunt, cum antea eos qui Græca verba male efferrent,

V hoc

hoc convitio ferirent, τοὺς παχυστόμους, καὶ τραχυστόμους, *pingui & aſpero ſono* voces Græcas proferentes. Εἶτα, inquit, κατεχρησάμεθα ὡς ἐθνικῷ κοινῷ ὀνόματι, ἀντιδιαιροῦντες πρὸς τοὺς Ἕλληνας. καὶ γὰρ δὴ ἡ πολλὴ συνήθεια, καὶ ἐπιπλοκὴ τῶν βαρβάρων, οὐκέτι ἐφαίνετο κατὰ παχυστομίαν, ὡς ἀφυΐᾳ τινὶ τῶν φωνητηρίων ὀργάνων τοῦτο συμβαῖνον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν διαλέκτων ἰδιότητας. Ergo barbarum nomen penes poſteriorem Græciam dialectum quamlibet, & linguam à Græca alienam, ſignavit. Apud priores Græcos is ſic appellabatur, etiam Græcus, qui ſuam linguam male pronuntiaret. At illa κακοστομίᾳ, & βαρβαροστομία, quã ibi notat Strabo, non in diverſis linguis ac dialectis cenſebatur, ſed in eadẽ, ut puta Græca, ſi quis Ἑλληνίζων μὴ κατορθοίη. Hoc eſt, ſi quis Græco ſermone utens, non recta pronuntiatione in ea proloquendo uteretur. Ἄλλη δέ τις, inquit, ἐν τῇ ἡμετέρᾳ διαλέκτῳ ἀνεφάνη κακοστομία, καὶ οἷον βαρβαροστομία, εἴ τις Ἑλληνίζων μὴ κατορθοίη. Ex his apparet, quantopere falſus ſit vir eximius in exponenda Strabonis illo loco ſententia. Aliud eſt, βαρβαρίζειν, cum voces peregrinæ & barbaræ in Græco ſermone uſurpantur. Quod κακῶς Ἑλληνίζειν, interpretatur idem Strabo, ibidem. Ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς αἰτίας, καὶ τὸ βαρβαρίζειν λέγεται,

γεῖ). καὶ γὰρ τοῦτο ἐστὶ τῶν κακῶς ἑλληνιζόντων λέξεως, οὐκ ἐστὶ τῶν χαρίεν λεγόντων. Carice pronuntiare eſt, verba Græca eo more & ore pronuntiare quo Cares ea efferebant, pingui ſono & horrido. At κακῶς ἑλληνίζειν ille dicitur, qui non recte loquitur Græce, ſed admiſcet inter loquendum voces barbaras & peregrinas. Ex hac etiam loquutione, κακῶς ἑλληνίζειν, liquet, τὸ ἑλληνίζειν proprie ſumi de eo qui ſine vitio loquitur. Nam qui κακῶς ἑλληνίζει, vix ἑλληνίζει. Idem quippe eſt, κακῶς ἑλληνίζειν, & οὐχ ἑλληνίζειν. Sic κακῶς εἰδότας Græci vocant, qui neſciunt. Nam male aliquid ſcire idem quod neſcire. Ita *maledenſis* veſtis pro tenuis. Et *malecredulus* pro eo qui non eſt credulus. *Maleſeneſcens* Tertulliano, ſemper Græciſſanti, pro eo qui non ſeneſcit. Κακοστομία igitur, & βαρβαροστομία, vitia ſunt pronuntiationis, quæ nihil ad dialectum pertinent. Nam in una eademque dialecto, eiuſdem gentis ac generis homo poteſt κακοστομεῖν, & βαρβαροστομεῖν, cum alius ex eadem æque gente ac lingua ὀρθοεπεῖν & εὐστομεῖν queat. *Barbariſmos* etiam quidam hæc vitia pronuntiationis appellabant, ab antiqua notione huius vocis βάρβαρος, qua eum qui abſurda & abſona pronuntiatione uteretur, Græci vete-

hoc convitio ferirent, τοὺς παχυστόμους, καὶ τραχυστόμους, *pingui & aſpero ſono* voces Græcas proferentes. Εἶτα, inquit, κατεχρησάμεθα ὡς ἐθνικῷ κοινῷ ὀνόματι, ἀντιδιαιροῦντες πρὸς τοὺς Ἕλληνας. καὶ γὰρ δὴ ἡ πολλὴ συνήθεια, καὶ ἐπιπλοκὴ τῶν βαρβάρων, οὐκέτι ἐφαίνετο κατὰ παχυστομίαν, ὡς ἀφυΐᾳ τινὶ τῶν φωνητηρίων ὀργάνων τοῦτο συμβαῖνον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν διαλέκτων ἰδιότητας. Ergo barbarum nomen penes poſteriorem Græciam dialectum quamlibet, & linguam à Græca alienam, ſignavit. Apud priores Græcos is ſic appellabatur, etiam Græcus, qui ſuam linguam male pronuntiaret. At illa κακοστομία, & βαρβαροστομία, quã ibi notat Strabo, non in diverſis linguis ac dialectis cenſebatur, ſed in eadẽ, ut puta Græca, ſi quis Ἑλληνίζων μὴ κατορθοίη. Hoc eſt, ſi quis Græco ſermone utens, non recta pronuntiatione in ea proloquendo uteretur. Ἄλλη δέ τις, inquit, ἐν τῇ ἡμετέρᾳ διαλέκτῳ ἀνεφάνη κακοστομία, καὶ οἷον βαρβαροστομία, εἴ τις Ἑλληνίζων μὴ κατορθοίη. Ex his apparet, quantopere falſus ſit vir eximius in exponenda Strabonis illo loco ſententia. Aliud eſt, βαρβαρίζειν, cum voces peregrinæ & barbaræ in Græco ſermone uſurpantur. Quod κακῶς Ἑλληνίζειν, interpretatur idem Strabo, ibidem. Ἀπὸ γὰρ τῆς αὐτῆς αἰτίας, καὶ τὸ βαρβαρίζειν λέγεται,

γεῖ. καὶ γὰρ τοῦτο ἐπὶ τῶν κακῶς Ἑλληνιζόντων λέγεται, οὐκ ἐπὶ τῶν καριστὶ λεγόντων. Carice pronuntiare eſt, verba Græca eo more & ore pronuntiare quo Cares ea efferebant, pingui ſono & horrido. At κακῶς Ἑλληνίζειν ille dicitur, qui non recte loquitur Græce, ſed admiſcet inter loquendum voces barbaras & peregrinas. Ex hac etiam loquutione, κακῶς Ἑλληνίζειν, liquet, τὸ Ἑλληνίζειν proprie ſumi de eo qui ſine vitio loquitur. Nam qui κακῶς Ἑλληνίζει, vix Ἑλληνίζει. Idem quippe eſt, κακῶς ἑλληνίζειν, & οὐχ ἑλληνίζειν. Sic κακῶς εἰδότας Græci vocant, qui neſciunt. Nam male aliquid ſcire idem quod neſcire. Ita *maledenſis* veſtis pro tenuis. Et *malecredulus* pro eo qui non eſt credulus. *Maleſeneſcens* Tertulliano, ſemper Græciſſanti, pro eo qui non ſeneſcit. Κακοστομία igitur, & βαρβαροστομία, vitia ſunt pronuntiationis, quæ nihil ad dialectum pertinent. Nam in una eademque dialecto, eiuſdem gentis ac generis homo poteſt κακοστομεῖν, & βαρβαροστομεῖν, cum alius ex eadem æque gente ac lingua ὀρθοεπεῖν & ἀρτιστομεῖν queat. *Barbariſmos* etiam quidam hæc vitia pronuntiationis appellabant, ab antiqua notione huius vocis βάρβαρος, qua eum qui abſurda & abſona pronuntiatione uteretur, Græci vete-

res appellarunt. Diomedes: *Sunt prætereа pronuntiationis quædam vitia, quæ nonnulli barbariſmos vocant, Iotaciſmi, Mytaciſmi, lambdaſiſmi, hiatus, colliſiones, & omnia quæ plus æquo minuſve conſonantia ab eruditis auribus reſpuuntur. Hæc vitia proloquuti, controverſiam de nomine pertinacibus relinquamus.* Sane controverſia erat de nomine, cum alii βαρβαρισμοὺς vocarunt hæc oris vitia, quæ κακοστομίαι & βαρβαροστομίαι ab aliis appellabantur. Βαρβαρισμὸν autem proprie dicendum putarunt, cū tota barbara eſt dictio. Hanc βαρβαρόλεξιν alii appellabant, ut *gaza*, pro divitiis. Barbariſmum autem in eadem dialecto fieri cenſebant quattuor modis, adiectione, detractione, mutatione, tranſmutatione. Quæ grammaticis explicanda relinquimus. Quintilianus, & potiores auctores, βαρβαρισμὸν, & βαρβαρόλεξιν, confundunt. Maneamus igitur in hoc Ἑλληνίζειν, ſi recedamus à dialecti proprietate, cum τὸ ἑλληνίζειν diceretur de dialecto propria ac peculiari τῶν Ἑλλήνων, priuſquam nomen communicaretur omnibus Græciæ populis: alias ſemper hoc verbū ſumitur ut Dicæarchus interpretatus eſt, pro ὀρθῶς διαλέγεσθαι, hoc eſt, Græce loqui ſine vitio. Nec nimis urgendum eſt illud *eleganter*, quod Salmaſio excidit, cum etiam id interdum

dum ſignificet, & idem quod Ἀττικίζειν. Qui emendate ac ſine vitio loquitur, is proprie apud Græcos dicitur ἑλληνίζειν. Pergamus hanc telam detexere. Ut mihi perſuaderet vir ille magnus, cum quo tum rem habui, τὸ ἑλληνίζειν Græcis non ſemper idem eſſe quod recte & ſine vitio loqui; adferebat & aliud è Thucidyde teſtimonium, qui ἑλληνίζεσθαι poſuiſſet pro linguam Grecam imitari, lib. II. de Amphilochiis. Ἑλληνίσθησαν, inquit, τὴν νῦν γλῶτταν τότε πρῶτον ἀπὸ τῶν Ἀμπρακιωτῶν ξυνοικησάντων. Non probabam autem quod *Græciſſandi* verbo paſſim uteretur in illis Græcorum auctorum teſtimoniis citandis, cum ἑλληνίζειν Latine exprimere vellet. Aliquando id verbum ſignificat *Græciſſare*, cum ſermo eſt de eo, qui cum non ſit Græcus oriundo, Græcorum tamen ſermonem affectat. Sed Græci etiam ipſi ἑλληνίζουσι, cum lingua ſua utuntur. Cum enim ἑλληνισμὸν vocant Rhetores eam orationis Græcæ virtutem quæ in verbis aut elocutionibus pure Græcis deligendis & uſurpandis verſatur, an *Græciſſationem* Latine redderent? Omnino male ac vitioſe ita facerent, ſi ita vocarent. Nam Latinitas in Romana oratione, quæ reſpondet ἑλληνισμῷ Græcorum, *Latiniſſatio* videretur poſſe dici. Ἑλληνισμὸς Græ-

 citas

citas eſt potius quam Græciſſatio. Verbum quoque ipſum Ἑλληνίζειν, Græce loqui ſignificat, Græco ſermone uti. Non ergo ſemper imitationem hęc verba ſic terminata notant, ſed factum aliquando eius proprium qui eo verbo id agere ſignificatur. Sic κόκκυξ, cuculus, cum vocem ſuam edit, κοκκύζειν dicitur. Ἔποψ, upupa, ἐποπίζειν. Κακκάβη, quæ perdix eſt, ſecundum dialectum, κακκαβίζειν. Κικύμη, vel Κικύβη, noctua, κικυβίζειν. Sic χριστιανίζειν non eſt, Chriſtianum ſimulare vel imitari, ſed revera agere, & talem præſtare. Ita ergo Ἕλλην etiam ἑλληνίζει, cum linguam ſuam proloquitur. Theocritus Dores Δωρίζειν dixit. Præterea illud etiam *Græciſſare*, ſi recte, ut ſonat, accipiatur, non aliud ſignificat quam Græce loqui, ut *Atticiſſare* Feſtus Attice loqui interpretatur. Et *Siciliſſare* argumentũ Comœdiæ Plauto dicitur, quod erat plane Siculũ, & cuius præcipuę perſonę erant ex Sicilia. Poſtremo, quod nõ vidit vir magnus, aliud Ἑλληνίζειν, aliud Ἑλληνίζεσθαι. Nec enim idẽ eſt δανείζειν ac δανείζεσθαι. Hic accipit, ille dat. Sic Ἑλληνίζει, qui Gręcum ſermonẽ dat, id eſt, qui eloquitur. At Ἑλληνίζεται, qui accipit, id eſt, qui linguam Græcam ab alio diſcit ac percipit. Non igitur Ἑλληνίζεσθαι eſt *Græciſſare*, vel Græce loqui, ſed Græcum ſermo-

ſermonem ediſcere. Hoc igitur voluit Thucydides, Amphilochios tum primum Ἑλληνισθῆναι τὴν γλῶτταν, id eſt, linguam Grȩcam didiciſſe ab Ampraciotis, qui una eam regionem incolebant. Scholiaſtes vetus exponit, Ἕλληνες ἐγένοντο, *Græci facti ſunt*, per linguæ nempe Græcæ uſum, quem ab Ampraciotis acceperunt. Ut Græcus, qui linguam externam aliquam & barbaram perdidicerit, oblitus patriæ, βαρβαρωθῆναι dici poteſt; ita barbarus Ἑλληνισθῆναι, acceptis moribus & lingua Græciæ. De moribus intellexit Euripides, cum de Meneleo apud eum neſcio quis dixit: Ἐβαρβαρώθης χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Generali notione omnes Grȩci, cuiuſcunque ſint generis, aut quocunque genere loquendi utantur, quam dialectοn appellant, ἑλληνίζειν dicuntur, quia omnes vocantur Ἕλληνες. Sic Ἑλληνὶς γλῶσσα omnes communiter dialectos Græciæ complectitur. Et Græce loqui intelligitur omnis Græcia. Sic hodie Gallicus ſermo generatim is vocatur qui in omnibus Francici Regni provinciis uſurpatur, quamvis ſingulæ provinciæ ſuum habeant idioma, ab aliis diſtinctum & ſeparatum. Ut Vaſcones, Burgundi, Pictavi, Normanni, & alii. Ipſi etiam Vallones, qui Gallo-Belgæ ſunt, quamvis utantur Gallica

lingua quæ Belgicorum idiotiſmorum plena eſt, nihilominus Gallice loqui cenſentur. Propria tamen & ſtricta ſignificatione *Gallicus ſermo* dicitur ea purior Gallice loquendi ratio, quæ in Aula regis viget, & apud honeſtiores doctioreſque in uſu eſt. Hæc una ex dialectis Galliæ, & quidem maxime nitida & polita, non ſolum eloquutione, ſed etiam ſono & pronuntiatione. Ut autem nulla dialectus unquam fuit, quin nationi alicui certis finibus circumſcriptæ propria ac familiaris fuerit, hæc dialectus in ea provincia Galliæ vulgo frequentatur, quæ *Inſula Franciæ* appellatur, & Franciæ nomen quaſi proprium gerit. Reſpondet Atticæ inter Græcos, & Etruſcæ inter Italicas. Cum linguam Gallicam ſeu Francicam dicimus, κατ' ἐξοχὴν de hac intelligimus. Sic apud Græcos, cum lingua ipſorum in totidem diverſas ac diſtinctas invicem dialectos divideretur, quot erant in ea provinciæ, vel civitates, ἡ Ἑλληνὶς γλῶσσα, & Ἑλληνίζειν, de omnibus generali acceptione dicebatur. Abſolute vero ac per ſe in ſtrictiori & magis ſpeciali ſignificatu τὸ Ἑλληνίζειν, & Ἑλληνισμὸς, accipiebatur de eo loquendi genere, vel dialecto, qua communiter viri docti in Græcia utebantur, & qua ſcriptores plerique uſi reperiuntur, Hiſto-

Hiſtorici, oratores, philoſophi & alii. Hæc eſt, quæ *κοινὴ διάλεκτος* vocatur, vel *ὅτι κοινῶς αὐτῇ πάντες χρῶνται, ἢ διότι ἐκ ταύτης ἄρχονται ὡς ταύτης οὖσαι πᾶσαι.* Hæc ad normam ipſa ſui revocatur & exigitur, reliquæ ad proprietatem quam habent ſingulæ. *Ἀναπεμπτέον δὲ*, inquiunt, *ταύτην μὲν ὡς πρὸς κανόνα, τὰς δὲ λοιπὰς πρὸς ἰδιότητα.* Talis noſtra eſt Gallica, quam proprie & *κατ' ἐξοχὴν* ſic vocamus. Excolitur, perpolitur, ad obruſſam ſpectatur, quotidie in eam à ſtudioſis & à recte & eleganter loquenti inquiritur, utrum hæc vox & phraſis Gallica ſit, an non. In aliis Galliæ dialectis, earum tantum proprietates & idiomata docti intuentur, non etiam curioſius ea conſiderant. Hac voce ſic Burgundi utuntur. Id vocabulum apud Pictavos hanc habet ſignificationem. Et ita de cæteris. Nec ſecus ergo apud Græcos fuit de *ἑλληνίδι*, vel *ἑλληνικῇ* ſic proprie appellata dialecto; quam & *κοινὴν* differentiæ ergo vocarunt, ut à reliquis diſtingueretur. Cōmuni vero appellatione cæteræ etiã dictæ *ἑλληνικαὶ*, ſed à nationibus quibus erant peculiares proprium nomen nactæ ſunt, ut Aeolica, Dorica, Ionica, & Attica. Quæ tantum inter ſe differebant, ut quod in una rectum videretur, in alia pro vitioſo

haberetur. Quintilianus: *Cuius difficilior apud Græcos obſervatio eſt, quia plura illis dicendi genera, quas* διαλέκτους *vocant, & quod alias vitioſum eſt, interim alias rectum eſt.* Harum διαλέκτων ſolas ἰδιότητας ſpectari mos fuit. Solam communem, & proprie Ἑλληνίδα appellatam, ad normam & regulam bene dicendi & ſcribendi exigebant. Aliæ tamen, ut dixi, etiam Ἑλληνικαὶ dicebantur. Iohannes Grãmaticus de dialectis: Πάσας μὲν συνέβη καλεῖσθαι Ἑλληνικὰς φωνὰς, κατ᾽ εἶδος δὲ ἀπὸ τῶν Ἕλληνος παίδων λαβεῖν. *Omnes quidem contigit dici Hellenicas ſive Græcas, ſpecialem vero ab Hellenis filiis denominationem accepiſſe.* Si dialectus Græca fuiſſet quam vocant Helleniſticam, an aliud ei nomen conveniret quam Ἑλληνικῆς? Generalis quidem hæc eius eſſet appellatio, & communis cum reliquis Ἑλληνικαῖς. Specialis qualis foret? An Ἑλληνιστικῆς? Atqui Ἑλληνικῇ utentes cum vocentur Ἑλληνισταὶ, non poteſt earum lingua ſeparari aliqua diſcriminis nota ab Hellenica communi qua utuntur. Sed in eo colloquio vir ille de quo loquor eruditiſſimus poſt allata quæ poſuimus de verbis Ἑλληνίζειν & Ἑλληνίζεσθαι teſtimonia, ita concludebat: Ἑλληνίζειν de his dicitur, qui cum Græci domo non eſſent, eorum tamen linguam imitari cona-

conabantur, ſive id cum elegantia facerent, ſive minus eleganter. quid vetat ergo, inquiebat, Ἑλληνιστὰς dictum Iudæorum genti id genus hominum, quorum lingua patria Græca erat, ſed impura, utpote Ebraiſmis, & Syriaſmis, & Macedoniſmis mixta? Nihil ſane nec ipſe intercedo quin ita vocari potuerint. Sed veriſimile eſt, inter eos Iudæos Ἑλληνίζοντας, extitiſſe etiam complures qui pura uterentur Ἑλληνικῇ, nullis inquinata Syriaſmis, vel Ebraiſmis. Et cum vir eximius fateatur, Ἑλληνίζειν Græcis alias idem eſſe quod Græce, & emendate, vel, ut ipſe vult, eleganter loqui, alias vitioſe & corrupte, id eſt, minus eleganter; duo inde nobis genera conſurgent Helleniſtarum, pure Ἑλληνίζοντες, & impure. Suſcitabuntur & ex illis duplicis generis Helleniſtis, etiam duæ diverſæ Helleniſticæ, pura altera, altera impura. Nulla autem unquam dialectus hoc habuit, ut nomine dicta ſit ambiguo, & duas ſignificante differentes dialectos. At ſecundum hæc doctorum Helleniſticariorum dictata, in illis ipſis Iudæis duplex genus Ἑλληνιστῶν agnoſcemus. Unum, quales erant Ioſephus, & Philo. Alterum neſcio quale. Nec enim exemplum ſuppetit. An quales ſeptuaginta interpretes, aut Novi Teſtamenti ſcriptores

ptores Apoſtoli? At illi nõ fuere Helleniſtę, ſi ſumantur ut cenſent ſumẽdos illos Helleniſtas quorũ in Actis fit mentio. Sed ponamus interim, hos fuiſſe ex illis impuris Helleniſtis. Sic habebimus duas Helleniſticas diverſas ac diſtinctas. Alia quippe ſic fuerit Ioſephi & Philonis Helleniſtica, alia ſeptuaginta interpretum, & auctorũ Novi Teſtamenti. Quid illi igitur fiet peculiari Orientalium Græcæ dialecto quã *Helleniſticam* iſti vocant? Nulla certa & diſcriminali nota ſeparabitur ab Hellenica cõmuni, quę dicenda eſt pura Helleniſtica. Ioſephus Iudęos Gręci ſermonis peritos nõ vocat Ἑλληνιστὰς, ſed Ἑλληνικοὺς τῇ γλώττῃ. Sic enim in libro 1. contra Appionem, de quodam Iudæo loquens ex Clearcho: οὗτος οὖν ὁ ἄνθρωπος ἐπιξενούμενος τοῖς πολλοῖς, κἀκ τῶν ἄνω τόπων εἰς τοὺς θαλαττίους ὑποκαταβαίνων, Ἑλληνικὸς ὢν οὐ τῇ διαλέκτῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ ψυχῇ. Philo lib. 11. de vita Moſis, ſeptuaginta illos ſeniores qui Biblia verterunt; ad patrii ſermonis peritiam, Græcam etiam litteraturam adiunxiſſe memorat. οἱ πρὸς τῇ πατρίῳ καὶ τὴν Ἑλληνικὴν ἐπεπαίδευντο παιδείαν. Ergo & Ἑλληνικοὶ iſti fuere τῇ διαλέκτῳ. Ergo & verſio quam dederunt, Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ ſcripta fuit an Ἑλληνιστικῇ: quamvis & ipſi dici potuerint Ἑλληνισταὶ, quia ſcilicet Ἑλλη-

νικῶς

νικῶς ſciebant. Quoniam autem ab Helleniſtis Actorum ſuam illam Helleniſticam deduci placet Helleniſticariis, ante omnia ſcire opus eſſe dicebat ille vir doctiſſimus, quinam forent illi Helleniſtæ. Tribus locis, ſicut in ſuperioribus iam docuimus, eorum in Actis haberi mentionem. Actorum VI. dicitur, *in diebus illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſſe murmur* τῶν Ἑλληνιςῶν *adverſus Ebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano eorum viduæ.* Sic inde argumentabatur vir doctus. Diſcipulos illos, quorum numerus in diem augebatur, fuiſſe Iudæos, qui amplexi erant Chriſtianiſmum. Ex ſequentibus quippe liquere, nondum tunc Apoſtolos gentibus Euangelium adnuntiaſſe. Nullam ergo poſſe meliorem dari nec commodiorē interpretationem, quæq; magis hiſtoriæ temporum quadret, & verbis Lucæ, quam ſi *Helleniſtæ* illi intelligantur de Iudęis Græce loquentibus, & Gręco ſermone in ſacris utentibus. Per Ebræos enim manifeſte deſignari Iudæos illos qui Ebraice noverant, & ſacra Ebraice faciebant. Duo ibi ergo genera Iudæorum deſignari, Græce ſcientium unum, & alterum Ebraice peritorum. Satis autem notum eſſe, urbem Hieroſolymorum eo tempore utroque illo genere Iudæorum

orum fuiſſe refertiſſimam. Hæc, aut non diſſimilia his, tum diſſerebat, ſi memini, vir eruditiſſimus. Reſpondebam ego, Salmaſium non negare, Helleniſtas illos Iudæos fuiſſe, ſed religione, non natione tales, aſſerere. Nec videtur credibile, eo tempore Hieroſolymis ſubſtitiſſe Iudæos Iſraëlitici generis, qui Ebraice, aut Syriace ſaltem, neſcirent, quique Græcę tantum linguæ gnari, cogerentur ea gratia Græco ſermone ſacra ſua peragere, & verſione Græcanica uti Bibliorum in ſuis Synagogis. Nullo modo hoc mihi, nec puto Salmaſio, perſuaderi poſſe, præſertim cum in media Græcia nati Iudæi Ebraice ſcirent, ut Paulus, qui domo Cilix fuit, ex urbe Tarſo. Quod enim addebat vir doctus, Ebræos illos, qui ibi diſtinguuntur ab Helleniſtis, originarios Iudææ fuiſſe, & incolas, iſtos autem Helleniſtas Iudæos ex provinciis vicinis, Syria, Aegypto, & aliis, Hieroſolyma aſcendere ſolitos; nec id tum poteram probare. Chriſti Eccleſia tunc, cui numerus diſcipulorum adgregabatur, Hieroſolymis conſiſtebat. Compoſita autem erat ex incolis, vel civibus Hieroſolymitanis ibidem conſiſtentibus, non aliunde per cauſam peregrinationis aut adorationis eo commeantibus & tranſeuntibus, nec in eodem

loco

loco diu hærentibus. At veriſimile eſt, Eccleſiam Chriſti, cuius tum prima fundamenta in urbe Hieroſolymitana iaciebantur, priuſquam ingreſſus ad eam pateret gentibus, ex ſolis Iudæis civitatis inquilinis fuiſſe coalitam. Iudæi diſperſionis, quod genus omne Helleniſtas volunt fuiſſe, non manebant Hieroſolymis, ſed in variis provinciis inter gentes Aſiæ & Europæ erant diſperſi. Si qui ex his ſedem figere vellet Hieroſolymis, aut in alia urbe Iudææ domicilium optare, eo ipſo deſinebat eſſe ἐκ διασπορᾶς, & quaſi poſtliminio recuperabat antiquæ patriæ ius, & primæ originis locum. Non certe amplius cenſebatur ex Iudæis Diaſporæ qui patriam habitabat. Præterea Iudæi Diaſporæ non minus Ebræos ſe eſſe iactabant, & Iſraëlitas, quam qui in Iudæa incolebant. Paulus ex Cilicia oriundus, ſe Ebræum eſſe prædicat, & Iſraëlitam, aliquot locis in Epiſtolis. Ut Epiſtola II. ad Corinthios cap. XI. *Ebræi ſunt? & ego. Iſraëlitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego.* Hæc tria ad originem pertinent, quæ ut Synonyma poſuit, ut maiori emphaſi ac vi ſe à ſtirpe Iudæum oſtenderet. Sic in Epiſtola ad Romanos cap. XI. *Nam & ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin.* Cum autem in Epi-

Digitized by Google

Epiſtola ad Corinthios ſecunda dixit, *Ebræi ſunt? & ego*, non de dialecto intellexit, ſed de origine. Cum igitur Iudæi Diaſporæ etiam ſe Ebræos dicerent & eſſent, non videtur Lucas eos ab Ebræis diviſiſſe & diſtinxiſſe. Nec erat etiam cauſa cur utriuſque generis Hieroſolymis commorantis ea eſſet diviſio & ſeparatio, ut nomine invicem diſiungerentur, ut alteri ab alteris deſpicerentur; præcipue quibus eadem eſſet origo, quibuſq; idē iuris competeret ſeſe Ebræos & Iſraëlitas cōpellandi. Helleniſtæ iſti, ut eos accipiunt, haud minus Ebræi & Iſraëlitæ, nec minus ex ſemine Abrahami, quam illi Ebræi, à quibus hoc nomine diſtingui eos volunt docti homines. Cur ergo eos diſtinxiſſet Lucas? Aut cur in eadem fide iam ipſi unanimes, & eiuſdem religionis conſortes, ab eadem ſtirpe oriundi, Ebraica & Iſraëlitica, illi Ebræi fratres ſuos tam contemptim obtriviſſent, ut viduas eorum præterirent in miniſterio quotidiano? Denique cur in communi origine, & urbis in eiuſdem incolatu, alii Ebræi dicti eſſent, alii Helleniſtæ? An ex illis Ebræis nemo Græce ſciebat, ex iſtis Helleniſtis nemo Ebraice? Syriace potius. Nam idioma illud eo tempore in Iudæa nativum fuiſſe, ac familiare, oblito & abolito Ebraico,

braico, iam ſupra docuimus. Atqui vidimus, pleroſque ex Apoſtolis, cum Iudæi eſſent germani, & Ebræi, Græce ignaros non fuiſſe, cum tamen idiotæ eſſent, maximam partem, piſcatores, nautæ, portitores. Sed & Græce ſcripſerunt. Si linguam ſpectes Græcanicam, qua uſi ſunt in Epiſtolis & libris ſcribendis, Helleniſtæ fuere. Si ad illam diſtinctionem Helleniſtarum, quam ex Luca introducunt, reſpicias, non erant Helleniſtæ, ſed Ebræi. Græce tamen noverant. Ergo per hanc notitiam Helleniſtæ, quia Ἑλληνίζοντες. Enimvero ſi tempore Philadelphi Hieroſolymis tam multi erant Græcæ linguæ periti, uti ſeptuaginta ſeniores reperiri potuerint qui mitterentur ad Ptolemæum ipſius rogatu ad convertenda Biblia, longe maiorem τῶν Ἑλληνιζόντων numerum Chriſti ævo in ea urbe fuiſſe, veriſimile eſt. Nam Græcæ linguæ uſus tunc per totam Syriam longe magis invaluerat, quam ſub primis Ptolemæis. Et cum idiotæ, quales erant Apoſtoli, eam linguam non ignorarent, quis ſibi perſuadeat, à doctioribus & honeſtioris ordinis viris Hieroſolymitanis ignoratam fuiſſe? Omnes illi, ut Ἑλληνικοὶ τῇ διαλέκτῳ, ita & Ἑλληνισταὶ, poterant vocari, ut erant revera. Cum tam multi ergo Iſraëlitæ Hie-



Digitized by Google

roſolymitani Græce ſciverint, quis non ſimiliter putet, ex illis Hieroſolymitanis Helleniſtis Actorum, multos extitiſſe qui callerent eam linguam, quæ tunc Ebræis ſic proprie vocatis fuit familiaris, nempe Syriacam? Immo nec alienum eſt, ſuſpicari, nonnullos ex iſtis Helleniſtis Iudæis, qui utique origine eſſent Ebræi, vel curioſitate adductos, calluiſſe linguam Ebraicam, cuius præcipue addiſcendæ tanta facultas daretur Hieroſolymis. Sic ſane fuerint aliqui Iudæi, germani Ebræi, & Iſraëlitæ, Ebraice etiam callentes, & in urbe Hieroſolymitana viventes, qui dicerentur *Helleniſtæ*, & ab Ebræis diſtinguerentur ea de cauſa, quod alia lingua uterentur in Synagogis, quam Ebraica, vel Syriaca. Hoc aliquis hodie credat, ego cras tantum credam. Nimis enim hæc abhorrent ab omni veriſimilitudine. Multo minorem veri colorem habet, quod adiiciebat vir doctiſſimus, illos ipſos eſſe Iudæos diſperſionis, quibus Petrus & Iacobus Catholicas Epiſtolas ſcripſere. Hic ſuam inſcripſit *duodecim Tribubus quæ ſunt in diſperſione*. Quis credat, omnes Iudæos τῆς διασπορᾶς, *Helleniſtas* fuiſſe, & ita dictos eſſe quod Græce ſacra celebrarent? Etiamne Iudæi qui ultra Euphratem remanſerant, *Helleniſtæ* appellati ſunt, & Græ-

Græciſſarunt? Atqui ex duodecim Tribubus duæ tantum patriam repetierunt, reliquæ decem in captivitate trans Euphratem manere præoptaverunt quam in Syriam reverti. Ibi adhuc erant Ioſephi ætate infinitæ myriades Iudæorum, quæ in Babylonia remanſerant ab illo tempore, nec redire cum aliis voluerant. Sic enim ſcribit Ioſephus de illa remigratione Iudaica, quæ Eſdram habuit ducem: Πολλοὶ δ᾽ αὐτῶν καὶ τὰς κτήσεις ἀναλαβόντες, ἦλθον εἰς Βαβυλῶνα, ποθοῦντες τὴν εἰς Ἱεροσόλυμα κάθοδον. De his loquitur Iudæis qui in Media toto captivitatis tempore habitaverant. Subiungit ſtatim: ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε. Διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας, καὶ τῆς Εὐρώπης, Ῥωμαίοις ὑπακούουσας, αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Quapropter duæ tantum tribus per Aſiam, & ſub Romano degunt imperio. Decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem ſunt, infinita autem hominum millia, & quæ numero non eſt comprehendere.* Sic duæ tantum tribus Hieroſolyma repedaverant, reliquæ decem trans Euphratem in Imperii Perſici ditione fixam per captivitatem ſedem refigere noluerunt, ut in patriam regyrarent. Quam infinita porro

multitudo Iudæorum in ſuperiore Aſia etiam ſuo tempore habitarit, narrat in Itinerario Beniamin. An decem illarum Tribuum Iudæos qui ultra Euphratē ſubſtiterant, Græce omnes loquebantur, & *Helleniſtæ* idcirco dicti ſunt? Non puto quemquam tam communis ſenſus expertem, qui id ſibi poſſit perſuadere. Et tamen præter Heinſium hoc vir etiam ille doctiſſimus, cum quo tum ſermones ſuper hac re miſcebam, id velle videbatur. Omnes nempe Iudæos exules, id eſt, in Diaſpora manentes, & Græce ſciviſſe, & *Helleniſtarum* appellatione, qui in Actis ſic vocantur, comprehenſos fuiſſe. Unde igitur tempore Eſtheræ, cum in eius gratiam, & Mardochæi, ſcriberentur iuſſu regis Aſſueri Epiſtolæ ad provinciarum rectores, & Iudæos in illis provinciis degentes, non Græce ſcripta ſunt quæ ad Iudæos mittebantur? Sic enim traditur in libro Eſtheræ, cap. VIII: *Accitiſque ſcribis & librariis Regiis, viceſima & tertia die menſis Sivan, ſcriptæ ſunt Epiſtolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoreſque, & iudices qui centum viginti ſeptem provinciis ab India uſque ad Aethiopiam præſidebant, provinciæ, & provinciæ, populo, & populo, iuxta linguas & litteras ſuas, & Iudæis prout legere poterant & audire.* In cen-

centum ac viginti ac ſeptem illis provinciis ſub Aſſueri imperio, qui Artaxerxes eſt, conſtitutis, & ab India uſque ad Aethiopiam pertinentibus, tam habitu quam lingua diverſis, Iudæi exules fuerunt, & Diaſporam tot regionum incoluerunt. Nam & Ioſephus lib. XI. ſcribit, Iudæos *διεσπάρθαι κατὰ τὴν ὑπὸ τοῦ Ἀρταξέρξου βασιλευομένης οἰκουμένης*. Hæc autem *οἰκουμένη* conſtabat centum & viginti ſeptem provinciis, ab India uſque ad Aethiopiam. An omnes eamdem linguam callebant, eamque Græcanicam, illarum provinciarum Iudæi? Contrarium evincitur verbis illis quæ modo citavimus. Scribebantur nomine Regis Epiſtolæ ad præſides ſingularum provinciarum & ſatrapas, iuxta cuiuſque nationis & provinciæ dialecton. Iudæis vero, *prout legere & intelligere poterant*. Id eſt, Ebraice intelligentibus & legentibus, Ebraico charactere exaratas, & eodem ſtylo conſcriptas, Epiſtolas miſſas fuiſſe, ſignificat. Chaldaice gnaris, Chaldaicas, & qui provinciæ in qua nati erant, idioma noverant, eo idiomate conceptas. Verius tamen cenſeam, ita verba illa exponi debere, *Et Iudæis prout legere poterant & audire*, de ſolo Ebraico ſermone. Hunc enim Iudæi legere poterant & intelligere. Omnes il-

læ provinciæ dominii Perſici, ſuum quæque habuerunt linguæ idioma. Ad ſingulas ergo ſcribendum Rex curavit, ſecundum cuiuſque dialecton. Iudæi ſub eius imperio degentes, nullam habuere peculiarem provinciam, ſed per omnes diſperſi erant. Ad eos cum Rex quoque mittendas Epiſtolas decreverit, illo ſermone conſcribendas curavit quem legere poſſent, & intelligere, nempe Ebraico. Ex his conſtat, non omnes Orientalium earum regionum inquilinos, & exules Iudæos, Græce potius quam Ebraice ſciviſſe. Sane ante Græcorum in Oriente imperium, cum Darii, Xerxæ, & Artaxerxæ regnarent, rarus Græcæ linguæ in eorum ditione uſus fuit, præcipue in illa maiore Aſia quæ ultra Euphratem. Poſtquam Alexander eripuit Perſis dominationem, ſub eius ſucceſſoribus Seleucidis fundato per Orientem Græcorum imperio, & Coloniis ampliſſimarum urbium ad Tigrim & Euphratem deductis & conditis, Græca lingua ibi diffundi cœpit ac vigere, in maximis illius tractus urbibus, Seleucia, Cteſiphonte, & aliis ſi quę à Græcis colonis habitatæ aut conditæ ſunt. Urbes illæ à tribus potiſſimum generibus hominum inhabitabantur, Græcis, Syris, & Iudæis, ut ante expoſuimus. Sed Iudæi

multo

multo ante, quam Græci Macedones eas urbes condidiſſent, & imperium in illis regionibus inhiberent, ſub Xerxis & Dariis eas provincias incoluerunt, & linguam nationum illarum edidicerunt. Potuere ſane & Græcam in illis urbibus Græcis Meſopotamiæ aliqui addiſcere, ſi qui incolatum earum urbium adamaverunt. Sed quid hoc ad ulteriorum provinciarum & magis Orientalium Iudæos? Scilicet, in Bactriana, Aria, Arachoſia, Parthia, Perſide, India, & Aethiopia, degentes Iudæi, etiam linguæ Græcæ cognitione imbui debuerant, omiſſa patria Ebraide, aut eorum locorum dialecto, quæ incolebant? Ad Iudæos τῶ δώδεκα φυλῶν ſcripſit Catholicam ſuam Iacobus, id eſt, ad decem Tribus quæ ſub Partho tum agitabant, & duabus quæ ſub Romano erant, Europam & Aſiam minorem incolentibus. Ne duæ quidem hæ tribus quæ quintam ex toto partem faciebant, Græcæ loquelæ uſum habuere familiarem. Nam qui inter Occidentis nationes erāt diſperſi, haud alia ferme lingua, quam quæ uſitata tum erat in illis Occidentis provinciis, utebantur. Hæc Romana fuit, non Græca. In Aſia minore, & Græcia, qui Iudæorum per ea tempora vixere, natalis ſoli, quod incolebant, verſimile

 eſt,

eſt, uſos maxime fuiſſe dialecto, id eſt, Græcanica. Non propterea tamen *Helleniſtæ* dicebantur, nec Græcanica lingua in ſuis Synagogis utebantur, niſi ad exponendas ſi forte ſcripturas, quas Ebraice legebant. Sed & plurimi ex iis Ebraice intelligebant, haud minus quam Paulus. Cum hic eſſet Tarſenſis ex Cilicia, an ſolus fecit Synagogam? Nonne credi debet, plures cum illo, & Ebraice peritos fuiſſe, & Synagogam frequentaſſe, quæ Ebraice legebat ſcripturas? Certe non dicent, Paulum Helleniſtam fuiſſe. Si Paulus multos ſibi ſimiles habuit, eiuſdem Synagogæ conſecraneos, ut credibile eſt habuiſſe, non omnes, ne Europæ quidem, & Aſiæ exules Iudæi fuere Helleniſtæ. Multo minus ταῖς δώδεκα φυλαῖς ſcribens Iacobus, ſolis Helleniſtis videri poteſt ſcripſiſſe, quaſi omnes illæ duodecim tribus, per totum orbem exilio ſparſæ, Helleniſticę fuerint, & nullam aliam linguam noverint præter Helleniſticam? Petrus ſolis Iudæis, qui in Diaſpora Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ incolebant, ſcripſit. Fateor, in omnibus illis provinciis Græcæ linguæ uſum floruiſſe. Nec tamen exiſtimandum, earum regionum Iudæos Helleniſtas fuiſſe, & ſola Græca dialecto uſos eſſe in Synagogis.

Ebrai-

Ebraicas habuere Synagogas, hoc eſt, in quibus Biblia Ebraice legebantur, & Græcò cuiuſque regionis idiomate explicabantur. Nec enim eadem dialecto Græco omnes ſupra ſcriptæ provinciæ utebantur. Quam corruptum Cappadocum & Galatarum Græcum idioma fuerit, nos ex veteribus ſcimus. Apud Galatas etiam tum lingua, quam ex patria olim eo attulerant, vigebat ætate Hieronymi. Nec pura proinde eſſe poterat dialectus Græca, quæ ibi uſurpabatur. Ponti accolæ, & Bithyni, non puriorem habebant dialectum Græcam, ſed aliter corruptam quam Galatæ & Cappadoces. Aſiæ ſic proprie dictæ Græci, purius loquebantur quam omnes ſupra memorati populi. Eam porro Catholicam Petrus non Roma ſcripſit, ſed Babylone. Nec enim nomine Babylonis allegorice intelligenda Roma, ut omnes fere antiqui interpretati ſunt. Hæ ſunt fere provinciæ, excepta Lycia, & Cilicia, quas primæ Aſiæ tabulæ incluſit Ptolemæus. Eaſdem nominat & Philo, dum enumerat provincias, quæ colonias Iudæorum haberent longius ab ipſa metropoli diſſitas, & Aſiæ verſus Occidentem extremas. Sic enim Agrippa Rex in Epiſtola ad Caium ſcribit, de Hieroſolymis loquens: Μητρό-

πόλις δὲ οὐ μιᾶς χώρας Ἰουδαίας, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείστων, διὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἐξέπεμψεν, εἰς μὲν τὰς ὁμόρους, Αἴγυπτον, Φοινίκην, Συρίαν, τήν τε ἄλλην, καὶ τὴν κοίλην προσαγορευομένην. εἰς δὲ τὰς πόῤῥω διῳκισμένας, Παμφυλίαν, Κιλικίαν, καὶ τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας, ἄχρι Βιθυνίας, καὶ τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν. Cur ad harum potiſſimum Aſiæ minoris provinciarum Iudæos è Babylonia Petrus ſcripſerit, alibi Latius erit explicandum. Certe Babyloniam ipſam Ptolemæus uno & eodem libro complexus eſt, quo primas Aſiæ maioris partes expoſuit. Cum Antiochiæ eſſet Petrus, vicinas provincias ordinavit, & Iudęos earum Dei verbo imbuit. Similiter & quamdiu Hieroſolymis vixit, finitimas provincias, ut Phœnicem, & Syriam, atque Aegyptum, fide imbuit. Cum autem ultimo vitæ tempore Babylonem conceſſiſſet, quia in ea urbe maximus eſſet Iudęorum numerus, quibus convertendis deſudabat, ſuſcepto circumciſionis proprio Apoſtolatu, ex eo loco Epiſtolam hanc direxit ad Iudęos, longiſſime ab ea urbe diſſitos, & commorantes in illis Aſię Occidentalis regionibus, uſque ad Ponti intima. In Europa etiam pauci eo tempore fuere Iudæi, ut in Theſſalia, Bœotia, Macedonia, Aetolia, Achaia. Multo pauciores in Occidentis

dentis provinciis, ut in Gallia, Hiſpania,& Italia. Romę paullo plures, quod ea ſedes imperii eſſet. Nam ſubinde ex toto orbe Iudęi eo propter negotia varia confluebant, & aliquammulti ibi morabantur, & domicilium etiam figebant, ut alibi dicturi ſumus. Iudęi porro ſupra ſcriptarum Aſię minoris provinciarum, haud magis Helleniſtę fuere, aut dicti ſunt, quam qui in media Babylonia, & reliquis ad Orientem ultimum uſque provinciis habitabant, quorum longe maxima & innumerabilis fuit turba. Aquila certe ex Ponti provincia fuit, qui & poſt ſeptuaginta interpretes verſionem ſcripturæ ſacrę edidit. Quo argumento evincitur, etiam Ponticos Iudæos Ebraice ſciviſſe, haud minus quam Gręce. Et profecto ubicunque gentium ſparſi forent Iudęi, ſemper duas linguas, ut nunc, ſic & olim didicerunt, Ebraicā ab antiquo patriam, & illius loci propriam, quam habuere natalem. Faceſſat ergo ridicula & falſa opinio, quę ſtatuit, omnes Iudęos exules, fuiſſe Helleniſtas, & Græca lingua uſos eſſe in ſacris. Adiiciebat his vir multis mihi nominibus carus ac reverendus, magnam partem eorum Iudęorum, quod à multis ſęculis extra Iudęam in varias oras eſſent tranſportati, oblitos eſſe patrii & Ebraici

Ebraici idiomatis. In hac eadem ſententia eſt Heinſius, quam ſupra ſatis confutavimus. Quæ illic dicta ſunt, quoniam & huic loco inſerviunt, non hic repetenda arbitror. Teſtimonia etiam, ex Tertulliano & Iuſtino petita, ibidem eluſimus. Nam *Iudæos palam lectitantes* verſionem ſeptuaginta ſeniorum, apud Tertullianum, eamdemque tralationem, apud Iuſtinum, ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῶν Ἰουδαίων σωζομένην, de proſelytis Gręcis, vel proſelytorum filiis, ac nepotibus Iudaizantibus intelligendos docuimus. Potuiſſe fieri fateor, ut Iudęi Alexandrini, gratificantes Aegypti regibus ac ſuis, à quibus procurata illa verſio Græcanica fuerit, illam in Synagogis ſuis habuerint, & ex ea interpretati ſint ſcripturam Ebraicam. Non ex eo tamen concludi debet, Alexandrinos Iudęos omnes Ebraici fuiſſe ſermonis ignaros, & propter eam ignorantiam coactos eſſe legere in ſacris ſcripturam Gręcanice, & propterea vocatos *Helleniſtas*. Vicinitas Iudæę, & urbis ſanctę, omnium Iudęorum matris, non patiebatur, eos eſſe tam negligentes, ut in deſuetudinem & oblivionem Ebraicę & ſacrę linguę abducerentur. Maximam eorum partem ſciviſſe Ebraice, vel ex eo conſtat, quod Scaliger adnotavit in Epiſtola ad

la ad

Google

la ad Seguinum, Alexandrinos nimirum Iudæos, reliquoſque qui in Aegypto vivebant, coactos fuiſſe omnes contractus ſuos Græce concipere. Ergo antea Ebraice eos concipiebant. Certum eſt autem, omnem Iudæum, Ebraice aut Chaldaice ſcientem, nunquam Græcanica lingua uſum fuiſſe in ſacrorum ſuorum ſollemnitate peragenda. Excipio proſelytos Græcos, aut ab illis deſcendentes. Nam hi uſi ſunt beneficio verſionis ſibi oblatæ. Quod enim Ebraice neſcirent, ea lingua, quam ſciebāt, ſacra ſua celebrarunt. Tentabat & alio Philonis teſtimonio vir eruditus probare, Helleniſtas fuiſſe Iudæos, & Iudæos omnes, quicunque exules eſſent, Helleniſtas. Narrabat ex Philone in lib. II. de vita Moſis, illius temporis Iudæos in inſula Pharo, ubi hæc tranſlatio inchoata & abſoluta fertur, feſtum ſollemne celebrare ſolitos in honorem illius tranſlationis, & ad renovandam ac perpetuandam eius memoriam. Ex ea ſollemnitate non poteſt concludi, Iudæos Alexandriæ omnes fuiſſe Helleniſtas; & verſione illa Græcanica ſeptuaginta ſeniorum uſos eſſe in ſacris ſuis peragendis. Primum non dicit Philo, Iudæos Alexandrinos eam ſollemnitatem inſtituiſſe, & celebraſſe ſolos. A Philadelpho, ut apparet, inſti-

inſtitutam Iudæi Aegyptii, eius imperio ſubditi, ut ei gratificarentur, acceptiſſimam eam habenti verſionem, quotannis, cum ea ſollemnitas ageretur, frequentes ſua preſentia decorabant. Verba Philonis hæc ſunt: *διὸ καὶ μέχρι νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἄγεται κατὰ τὴν Φάρον νῆσον, ἣν οὐκ Ἰουδαῖοι μόνον, ἀλλὰ καὶ παμπληθεῖς ἕτεροι διαπλέουσι, τό, τε χωρίον σεμνυνοῦντες, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε φάος, καὶ παλαιᾶς ἕνεκα εὐεργεσίας ἀεὶ νεαζούσης, εὐχαριστήσαντες τῷ θεῷ. Quamobrem uſq; adhuc anniverſaria ſollemnitas feſtumq; celebre agitur, in inſula Pharo, in quam tranſeunt non ſolum Iudæi, ſed innumera hominum aliorum multitudo, locum veneraturi, in quo primum illius interpretationis lex effulſit, & pro veteri beneficio identidem recentato gratias acturi.* Non à ſolis Iudæis celebrabatur, ut videre eſt, illa ſollemnis celebritas propter verſionem Bibliorum agi ſolita, ſed ab alio infinito hominum genere, Græco nimirum, & Aegyptio. Tunc non erat, cum Philo hæc ſcribebat, Aegyptus ſub Regibus Ptolemæis, ſed ſub Romanis imperatoribus. Quia vero hunc morem habuere ſollemnem tempore Ptolemæorum Iudæi, ut in gratiam eorum feſtum illud frequentarent, eamdem & poſtea ſervarunt ex conſuetudine antiqua, & inoli-

ta.

ta. Vix autem aliter fieri potuit, quin in tanta Iudæorum multitudine, ubique terrarum ſparſa, cum tam varia ſint hominum iudicia, multi ex his eam tranſlationem adprobarint, aliis, & longe pluribus, improbatam. Si qui Græcis favebant, Ἑλληνικοὶ τήν τε γλῶτταν καὶ τὴν ψυχὴν, & qui præterea ſub imperio Ptolemæorum vivebant, iis omnibus grata videtur & accepta fuiſſe huiuſmodi verſio. Alii etiam quamplures lætati ſunt, innotuiſſe Græcis legis ſuæ præſtantiam. Quæ res faciebat, ut quotidie multi ad eorum ſectam adgregarentur, & proſelyti fierent. Plurimi contra, præſertim qui omnino Græce neſciebant, & Græcos odio proſequebantur, infenſos ei verſioni oſtendebant, omni occaſione eam proſcindentes, & vitia eius & errores notantes, cum illi alii, quibus arridebat, pro prophetis haberent eius auctores. Inde illa fabula de ſeptuaginta cellulis Alexandriæ extructis, in quibus diviſi in vertendo ſinguli laborarint, qui omnes tamen eadem ſcriptitarint. Quos conſtat in eadem Baſilica congregatos, *contuliſſe ſcripturas*, ut ait Hieronymus, *non prophetaſſe*. Nam, ut idem bene dixit, *aliud eſt, vatem eſſe, aliud, interpretem agere*. Philo ipſe, quamvis nihil de cellulis dixerit, ex illis eſt, qui prophetico

tico ſpiritu afflatos LXX interpretes, eam verſionem elaboraſſe exiſtimarunt. Quam multos ſimiles ei extitiſſe arbitramur, eorum præſertim, ut dixi, Iudæorum, qui fautores erant Græcorum gentis, & eorum litteris plene eruditi? An Philonem & eius ſimiles, Græce pariter doctos, & Græcorum ſtudioſos, & morum Græciæ amantes, pro *Helleniſtis* habebant? Si habent pro talibus, eorum ſaltem *Helleniſticam* non poterunt eamdem putare cum illa quam nobis definiunt, vitioſa & impura. Interpretibus ipſis, ut auctoribus, placuit opus ſuum. Nec tamen illi Helleniſtæ. Nec ſane diſplicuit illi ſummo pontifici Iudæorũ, regique, qui petenti Ptolemæo illos ſeptuaginta duos ſeniores, qui Biblia ex Ebraico in Græcum converterent, miſit. Præcipuam rationem, qui probarunt, hanc habuiſſe videntur, quam & Philo attigit, Conſentaneum non eſſe, ut tam præclara, & generi humano tam utilis lex, pro dimidiata tantum parte hominibus pateret, & dimidiæ parti ignorata eſſet. Δεινὸν ἡγησάμενοί τινες, εἰ οἱ νόμοι παρὰ τῷ ἡμίσει τμήματι τοῦ ἀνθρώπων γένους ἐξεταθήσονται, μόνῳ τῷ βαρβαρικῷ, τὸ δ' Ἑλληνικὸν εἰς ἅπαν ἀμοιρήσει. *Indignum videlicet rati, ſi hæ leges parti tantum dimidiatæ generis humani innoteſcerent, nempe ſolis Barbaris,*

*ris*, *Græciæ autem gentis homines quæ alteram partem conſtituent, earum in totum haberentur exortes.* At ex Iudæis qui mere erant Ebræi, & nullum Græcarum litterarum guſtum ceperant, ut à Grçcorum gente omni ex parte alieniores, ab ea verſione abhorrebant, ut ab aliis obſervatum eſt. Nam & tenebras per totum orbem ſparſas fuiſſe fabulantur, Ptolemæo imperante, qui eam verſionem curaverit faciendam, & ieiuniũ celebrabant in menſe Thebeth, quo eadem verſio confecta eſt, dolori quem inde conceperant, teſtando. Sic ſane diſcidium quodammodo & ſchiſma natum eſt, inter Iudæos qui eam tranſlationem adprobarunt, & eos qui improbarunt. Nec ex eo tamen conſequitur, omnes qui eam probarunt fuiſſe *Helleniſtas*, & propriam habuiſſe linguam inde nominatam *Helleniſticam*, nec eoſdem propterea tranſlatione ea uſos eſſe in ſuis Synagogis. Quod nec Philo nec Ioſephus tacuiſſent, ſi ſciviſſent, aliquos ſuo tempore veros Iudæos eam verſionem legiſſe pro Ebraica, cum ſacra facerent. Nihil enim erat quod magis valeret ad eius commendationem, quam ſi diceretur, magnam partem, immo maximam, Iudæorum, ubi prodiiſſet illa ἑρμηνεία, ſtatim eam amplexos eſſe, & legendam

in ſuis Synagogis, & proſeuchis, præſcripſiſſe, omiſſa Ebraica veritate. Philo autem, & Ioſephus, ex illis præcipue Iudæis eſſe videntur debuiſſe, qui in Synagogas eiuſmodi convenirent, quo ſtudium earum laudarent, & Græcanicam verſionem eo maxime nomine cõmendarent quod à Iudæis toto urbe diſperſis legeretur in ſacris. De hoc illi cum nihil ſcripſerint, quod maxime faciebat ad dignitatem & auctoritatem ei verſioni conciliandam, nec fuiſſe credendum eſt. At de proſelytis Græci generis quid mirum? Cum Ebraice non intelligerent, occaſione oblata verſionis, quam capere poſſent, ea uſi ſunt. Vir ille doctiſſimus, mecum de ſententia Salmaſii diſputans, non poſſe eam ſibi probari diſſerebat, vel eam unam ob cauſam, quod *Helleniſtas* illos Actorum de proſelytis Græcis interpretaretur. Nec enim ſibi poſſe perſuaderi, quod probabile etiam non eſſet, Tot nempe proſelytos potuiſſe reperiri ex una natione Græca, qui ab Apoſtolis in tam brevi ſpatio temporis converterentur ad fidem Chriſti, & corpus Eccleſiæ conſtituerent, cui eſſent neceſſarii ſeptem diaconi. Primum Eccleſia illa ad cuius miniſterium electi ſunt ſeptem primi diaconi non ex ſolis Helleniſtis conſtabat, ſed etiam

iam ex Ebræis. Nec enim electi ſunt illi ex corpore Helleniſtarum, qui Helleniſtis ſolis inſervirent, ſed qui toti Eccleſię, quam Ebræi pariter & Helleniſtæ tunc componebant. Idque adeo manifeſtum eſt ex narratione Lucæ, ut in dubium vocari non debeat. Murmur exortum eſt Helleniſtarum in Ebræos, quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano eorum viduæ. Tum, ut ipſis ſatisfieret, Apoſtoli, convocatis omnibus diſcipulis, tam Ebræis nimirum quam Helleniſtis, ad cætum dixerunt, non æquum eſſe, ut derelicta verbi prædicatione ipſi miniſtrarent menſis. Huic operi ergo præficiendos eſſe viros idoneos, dum ipſi vacarent orationi & verbi miniſterio. Ex corpore Helleniſtarum, eos ideo ſumi placuit, quia queſti erant, viduarum ſuarum rationem non haberi in miniſterio quotidiano menſarum. Deinde non eſt, quod mirentur, tam multos eo tempore fuiſſe proſelytos ex ſola gente Græca. Τὸ Ἑλληνικὸν dimidiam τῆς οἰκουμένης partem pæne faciebat, ut ex Philone ſupra vidimus. Nam orbis tunc εἰς τὸ Ἑλληνικὸν & βαρβαρικὸν dividebatur. Sub Barbarico continebatur & Ἰουδαϊκὸν, quod Philoni dicitur Χαλδαϊκόν. Univerſę Græcię in Europa familiaris fuit hęc lingua, Macedoniæ, Pelopon-
 neſo,

neſo, Siciliæ, Calabriæ, & aliis regionibus, *maioris Græciæ* nomine olim cognitis. Aſia minor tota hac dialecto utebatur, omnes Syriæ, ab imperio Macedonum. Antiochia ſola, urbs populoſiſſima & ampliſſima, innumeram Grȩcorum multitudinem poterat ſuppeditare. Omitto alias Trium Syriarum urbes potentiſſimas & maximas, Græcis refertas. Una Alexandria, ut cæteras urbes Aegypti prȩteream, quantum poterat Grȩcorum numerum de ſe dare? In Aſia maiore quot urbes Grȩcȩ, & quantȩ à Grȩcis conditȩ, cum imperium Perſarum tenerent, & Grȩcis illo in tempore refertiſſimȩ? Ut Seleucia, Cteſiphon, & aliȩ. Ipſa Babylon tunc temporis infinitos habuit Grȩcos, ut ex Ioſepho conſtat. Romani poſtremo, qui in Grȩcia & Aſia per ea tempora negotiabantur, omnes Grȩcam linguam callebant. Nullus in orbe denique locus eo ȩvo non Grȩcos habuit, aut Grȩce loquentes. Cum religio autem Iudȩorum tum maxime Grȩcis Romaniſque cultu ac veneratione digna videretur, quotidie ex alienigenis magnus ſymmyſtarum numerus ad eius ſacra capeſſenda conveniebat. Sed nec tum recens factos proſelytos Grȩcos Salmaſius tantum intellexit, verum proſelytidas, ſive ἀποπροσηλύτυς, à Pto-

à Ptolemęi uſque temporibus ad illam ætatem numeroſa ſobole propagatos. Vel ſola Syria, ne reliquas ponam regiones minoris & maioris Aſię, ſat multos poterat ſufficere. Quam multos enim credibile eſt, ſimul ac prodiit verſio Bibliorum, novitatis ſtudio ad eam ſumendam religionem acceſſiſſe, quæ tum primum à Græcis intelligi cœpta eſt, ac cognoſci? Proſelytos porro illorum temporum, quantam putamus ἐπιγονὴν dediſſe, vel populum facturam ſæculo Apoſtolorum? Iam tum, cum ex captivitate reduces in patriam regreſſi ſunt, non paucos in eo numero fuiſſe proſelytos, ex ſcriptura conſtat. Hæc conſideranti non mirum videbitur, tot numero *Helleniſtas* tum fuiſſe, id eſt, proſelytos, vel proſelytorum filios, Græce loquentes, ut partem Eccleſię Chriſto naſcentis alteram, cum Ebræis, id eſt, veris Iudæis, qui alteram dederunt, facere potuerint. Quod autem dicitur Matthæi XXIII, Scribas & Phariſæos maria & terras circuire, ut unum faciant proſelytum, non id arguit paucitatem proſelytorum, ſed ſtudium & cupiditatem Phariſæorum ad faciendos proſelytos. Si tanto autem illi animi ardore contendebant, in acquirendis gentilibus quos Iudaiſmo adiungebant, quam plu-

rimos quotidie lucrifeciſſe veriſimile eſt, & dignum opera & labore fructum ſic edidiſſe. Adiiciebat, ſi bene memini, vir eruditiſſimus, magnam Eccleſiæ ianuam gentilibus apertam vix fuiſſe ante Chriſti aſcenſionem. Quinimo Chriſtum ipſum præcepiſſe Apoſtolis, *in viam gentium ne abirent, & in civitates Samaritanorum ne ingrederentur, ſed irent potius ad oves quæ perierunt è domo Iſraëlis.* Matthæi x. vi. Inde argumentabatur, ſi Deus quoſdam ad ſui cognitionem vocaſſet, admodum exiguum eorum fuiſſe numerum. Sed quid hoc ad probandam proſelytorum qui Iudaiſmum ſequebantur raritatem? Numquid Salmaſius, proſelytorum nomine intellexit eos qui ad Chriſti fidem accedebant? Immo proſelytos Iudæorum. Hi nec in Samaritanis, nec in gentibus computabantur, ſed Iudæorum nomine appellabantur, ut ſuperius oſtendimus. Magnum fuiſſe tunc eorum numerum, nemo poteſt ignorare. Ex eorum porro numero, ut & ex Iudæis, multi tum Chriſto nomen dederant. Et quia nondum gentibus patuerant Eccleſiæ fores, ex his duobus generibus Eccleſia Chriſti conſtabat, ex Iudæis veris, & Iudaizantibus, ſive Iudæorum proſelytis Græcis. Sic ergo diſtinguuntur apud Lucam, dum illi vocantur

tur *Ebræi*, iſti *Helleniſtæ*, id eſt, proſelyti Græco ſermone utentes. Difficultatem adhuc aliam, niſi mihi memoria imponit, movebat. Et hæc,ſi non fallor, erat. *Non enim*, aiebat, *dixiſſet Lucas*, *Factum eſt murmur Helleniſtarum adverſus Ebræos. ſed potius hoc modo ſcripſiſſet : Factum eſt murmur proſelytorum adverſus Iudæos.* Sic enim loquutum eſſe cap. II. verſ. XI: *Iudæi quoque & proſelyti.* Item cap. XIII. verſ. XLIII: *cum ſoluta eſſet Synagoga, ſecuti ſunt multi Iudæorum, colentium Deum proſelytorum, qui loquentes ſuadebant iis, ut permanerent in gratia.* Ex hoc loco Lucæ primum animadvertendum eſt, non pauciores ex proſelytis quam ex Iudæis extitiſſe, qui prædicationi Euangelii obedierint. Deinde obiectio ipſa nihili eſt. Nam quemadmodum hic *Ebræos* ab *Helleniſtis* ſeparat, ita aliis locis *Iudæos* ab iiſdem *Helleniſtis*. Poſtremo, ratio evidens eſt, cur hic *Ebræos* potius dixerit quam *Iudæos*, dum ab *Helleniſtis* eos diſtinguit. Ratione linguæ voluiſſe videtur diſtinguere homines ex quibus Eccleſiæ corpus componebatur. Omnes erant tunc temporis aut *Ebræi*, aut *Helleniſtæ*, id eſt, aut ex Ebręis, quibus nempe ſcriptura Ebraice legebatur in Synagoga , aut ex Helleniſtis, quibus Græce tantum legi ſolebat. Hi vero

non alii fuere quam proſelyti. Cur autem Helleniſtas potius eos nominarit quam proſelytos, hæc etiam ratio eſt, ſolos Græcos proſelytos, vel Græce loquentes, intellexit, quos propterea ſeparavit ab *Ebræis*. At *proſelyti* appellatio latius patet, ut ad ſectiones docuimus. Cuiuſcunque enim nationis & linguæ Iudaizantem illa vox ſignificat. *Helleniſta* vero eum ſolum qui Græca dialecto utitur. Nec Græci tantum generis proſelytos eo nomine deſignavit Lucas, ſed etiam Syros, Græce loquentes, vel Syro-Græcos, & Romanos, & ex quacunque gente Iudaicæ religionis adſcripticios qui Græce ſciebant. Hi omnes quippe, cum ſe Iudaiſmo dabant, in Synagogas Helleniſtarum conveniebant, in quibus legebatur ſcriptura Græco idiomate. Ea ratione diſtingui ſolebant ab aliis aliarum nationum proſelytis, qui Iudaizantes, & Græce neſcientes, Ebraica ϛυναγώγια colebant. Mirabatur idem ſæpius memoratus vir, quomodo quis poſſet percipere, nomine *Helleniſta* intelligi Græcum proſelytum. *Nuſquam enim*, inquiebat, *Helleniſta is vocatus eſt, qui origine Græcus eſſet, ſed eum tantum ſic vocarunt, qui Græco uteretur ſermone*, ἐχ᾽ Ἕλλω ὤν. Nec hoc puto Salmaſium ignoraſſe, ἑλλωιϛὶν proprie Græ-
cis

cis eum dici, qui linguæ potius eſt quam originis Græcæ. Nam & in præfatione Uſuris præfixa *Helleniſtas* non de Gręci generis hominibus interpretatus eſt, ſed de iis qui Græce loquerentur. Non enim neſciebat, Ἑλληνιστὰς ita ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων diſtingui ſolere, ut Ἀττικισταὶ differunt ἀπὸ τῶν Ἀττικῶν. Illud tamen etiam certum eſt, in loco Lucæ nomine Ἑλληνιστῶν non ſolum comprehendi τοὺς Ἑλληνίζοντας, qui Græci à ſtirpe non eſſent, ſed etiam ipſos domo Gręcos. An non & hi Ἑλληνίζουσι? Rhetores qui de Ἑλληνισμῷ præcepta tradunt, numquid ſolis Barbaris ea præcipiunt? Certe Græcis ipſis potius. Ergo & Græci Ἑλληνίζουσι, & Ἑλληνισμὸς ad eos pertinet, id eſt, recta Græce loquendi ratio. Non omnes Græci nati recte Ἑλληνίζουσι. Nec omnes extranei prave. Sic multi etiam origine Græci poſſent eſſe κακοὶ Ἑλληνισταὶ, & multi alienigenæ ἀγαθοὶ Ἑλληνισταί. Aſſentior, in illis Lucæ Helleniſtis plures ſi forte fuiſſe, qui Ἑλληνισταὶ potius eſſent quam Ἕλληνες. Id eſt, ore magis quam genere Græci. Sed ſi qui inter eos veri & germani Græci fuere, nonne etiam ſub hoc nomine comprehendi potuerunt? Quid ſi plerique eorum, tam Græci, id eſt, Ἕλληνες, quam Ἑλληνισταὶ,

potuerint ex æquo dici Græci? Omnes,qui vixerunt ab Alexandri magni temporibus, & ſub eius ſucceſſoribus regibus qui Syriã & Aegyptũ tenuerunt, Gręci pariter, id eſt, Ἕλληνες, & Ἑλληνισαὶ videntur fuiſſe, eo tempore quo ſcribebat Lucas. Originem quippe habuere Græcam, ex Macedonia utpote oriundi, aut ex aliis regionibus Gręciæ, & Aſię minoris, in ea loca delati, & in coloniam deducti per Syriam & Aegyptum. Quia vero non in Græcia nati erant, ſed natale tum ſolum aut Syriam aut Aegyptum habebant, Ἑλληνισαὶ appellandi magis videntur quam Ἕλληνες. Et recte vetus interpres Latinus *Græcos* vertit. Non enim *Græciſtas* potuit. Poterat certe *Helleniſtas* dicere, ac retinere nomen Græcum: ſed hoc obſcurum. Quo etiam argumento evinci poteſt, nullos per ea tempora cognitos in urbe Romana fuiſſe *Helleniſtas*. At *Græcos* reddendo, certe omnes comprehendit, tam qui Græci natu eſſent, quam qui ſermone. Arabs quoque interpres ita expoſuit, & *Græcos* appellavit qui apud Lucam ſunt Ἑλληνισαί. Theophylactus etiam, Ἕλληνες dictos iſtos Ἑλληνισὰς, notavit, ut Salmaſio obſervatum eſt. Sic enim interpretatur ex vetuſtioribus, nec ipſe à ſe id habet: Ἑλληνισὰς ἢ λέγει ἴσως διὰ τὸ μὴ εἰδέ-

εἰδέναι Ἑβραϊστί. καὶ Ἕλληνας αὐτοὺς ἐκάλουν. Magnam partem ex Syria fuere, quos & *Syro-Græcos* liceat dixiſſe, ut Συρόελληνας. Sic enim appellantur. Vel Συρομακεδόνες. Græci habebantur origine & lingua, Syri loco natali & patria. Syria ergo patria in qua nati erant faciebat, ut dici deberent Ἑλληνισταὶ potius quam Ἕλληνες, quia in ſolo non Græco nati, Græcorum tamen idiomate utebantur. Ac Ἕλληνες vocari iure poterant reſpectu antiquæ & primæ originis, quæ Græca erat. Sic Galli in Aſiam tranſlati nomen *Gallorum* retinuere tum cum iam cenſerentur Græci. Γαλάται quippe appellabantur, & eorum regio Γαλατία, id eſt, *Gallia*. Græci tamen habebantur eo tempore, quia Græce loquebantur. Inde & nomine compoſito *Gallo-Græci* vocabantur, & *Gallo-Græcia* eorum provincia. Cæterum quod ad linguam attinet, Ἑλληνισταὶ potius eſſe videbantur quam Ἕλληνες. Hi tamen Græci etiam nuncupabantur, & habebantur. Interpres Latinus in argumento Epiſtolæ ad Galatas, *Galatæ*, inquit, *ſunt Græci*. Ita Græci Syriæ, Græci etiam erant, id eſt, Ἕλληνες, propter originem. At propter ſolum natale, minime Græcum, fuere Ἑλληνισταὶ, id eſt, Græce loquentes in ſolo non Græco.

Ipſe

Ipſe ille vir magnus, in colloquio illo noſtro fatebatur, duũ generum in Syria fuiſſe Helleniſtas, gentiles & Iudæos. Si gentiles in Syria *Helleniſtæ* fuere, Syri nempe ex Græcia oriundi, ſed in Syria nati, fatendum eſt, & proſelytos *Helleniſtas* in Syria extitiſſe. Niſi quis putet, nullos unquam ex illis Syris gentilibus Helleniſtis ad Iudaiſmum veniſſe. Tametſi quis id ſponte agnoſcere nollet, confeſſionem tamen extorqueret Lucas, expreſſe ſcribens, inter illos ſeptem diaconos, ex corpore ac numero Helleniſtarum ſumptos, unum fuiſſe Antiochenum *Helleniſtam*. Si ergo Helleniſtæ aliqui proſelyti, ut teſtatur Lucas, & fatebatur tum vir ille doctiſſimus, cum de ea re diſſereremus, quid amplius afferri poteſt contra Salmaſii interpretationem, quominus vera videatur? Aliud opponebat argumentum. *Si*, inquit, Ἑλλωνιστὴς *non dicitur niſi is, qui cum Græcus non ſit origine, Græca tamen utitur lingua, multo minus de proſelyto Græco id nomen fuerit accipiendum. Converſus enim è ſuperſtione Græca ad Iudaiſmum, non eſſet vocandus Helleniſta, ſed potius Iudaiſta. E contrario ſi quis, à religione Iudaica tranſiret ad Græcam ϑρησκείαν, dici deberet* Ἑλλωνιστής. Facilis & in promptu reſponſio. Ἑλλωνιστὴς non ſemper nomen religionis eſt, ſed ſæpius

pius de lingua ſumitur. Sic Ἑλλωισμὸς de religione non tantum dicitur, ſed etiam, idque frequentius, de ſermone. Per Ἑλλωιςὴν apud Lucam intelligendum eſſe Ἑλλωιςὴν proſelytum, patet. Qui abſolute Ἑλλωιςὴς vocatur, ut diſtinguatur ab aliarum linguarum & gentium proſelytis. Et cum ipſi contendant, Ἑλλωιςὰς de Iudæis accipi debere, quo iure negabunt, de proſelytis ſumi poſſe? Si Ἑλλωιςὴς ipſis is Iudæus eſt, qui Græce loquitur, quid vetat & Ἑλλωιςὴν appellari proſelytum qui Grçcum ſermonem uſurpat? Cum omnis qui Græce ſcit vocari poſſit Ἑλλωιςὴς, cur proſelytus Grçce gnarus non erit Ἑλληνιςὴς, ſi Iudæus Ἑλλωίζων ita vocatur? Fateor, Iudæum, qui relicto Iudaiſmo capeſſeret religionem Græcorum, id eſt, Ἑλλωισμὸν, appellari poſſe Ἑλλωιςήν. Sed tunc Ἑλλωιςὴς τῇ θρησκείᾳ intelligendus foret, non Ἑλλωιςὴς γλώττῃ. Aſſerant, ſi poſſunt, nomen Ἑλλωιςὴς in libro Actuum accipi debere de huiuſmodi Iudæis, religionis ſuæ deſertoribus, & Græcç ſectatoribus; tum licebit illis dicere quod tunc obiiciebat vir ille doctiſſimus, Salmaſium contrariam huic nomini notionem attribuere naturali eius ac propriç ſignificationi. Quocunque ſe vertant, illud fateri cogentur, Ἑλλη-

νιςὴν in Actis, aut Iudæum deſignare Græce loquentem, aut proſelytum; nullo certe modo poſſe ſumi de Iudæo deſertore, & Ἑλλωισμὸν, id eſt, religionem Græcanicam ſive gentilem amplexo. Ipſi *Helleniſtam* de Iudæo Ἑλλωίζοντι, id eſt, Græce perito, accipiunt, Salmaſius de proſelyto qui Græce loquitur. Utri veriora? Certe Salmaſius. Nam ipſe Lucas duobus locis *Iudæos* & *Helleniſtas* diſcrevit, aut *Ebræos* & *Helleniſtas*. Ergo illi Helleniſtæ, nec Iudæi fuere origine, nec Ebræi ſermone. Proſelyti ergo, id eſt, religione Iudæi, & ſermone Græci. Nec alieniorem Salmaſius huic voci ſignificationem adfinxit, dum de proſelytis Græciſſantibus eam explicat, quam ipſi, qui de Iudæis Græce loquentibus eam interpretantur. Si nihil eſt, quod prohibeat, eumdem Iudæum eſſe, & Ἑλληνιςὴν, quis vetabit, ne idem ſit Ἰουδαϊςὴς, & Ἑλληνιςής? Ἰουδαϊςὴς religione, Ἑλληνιςὴς ſermone? Cum de religione agitur, Ἑλληνιςὴς ſæpe & Ἕλλω confunduntur, ut alterum pro altero ſumatur. Ita ergo & Ἑλληνιςὴς, cum de ſermone res eſt, interdum etiam eum comprehendit qui verus eſt Ἕλλω. Et hanc rationem attulit Salmaſius, cur proſelyti Græce loquentes, vel etiam Græci, Ἑλληνιςαὶ potius à Luca in Actis vocati ſint,
quam

quam Ἕλληνες. Quia hæc vox Ἕλλην in Novo Teſtamento pro omni gentili accipitur, & pro quocunque qui ſuperſtitionem Græcorum, id eſt, idololatrarum, ſequitur, quæ Ἑλληνισμοῦ nomine ab auctoribus nuncupatur. Ita enim ſcripſit in præfatione Uſuraria; *Nunquam aliter hæc vox* Ἕλλην *in N. T. accipitur, quam generatim pro incircumciſis, & idololatris.* Hoc verum eſſe, negabat in illa noſtra altercatione familiari vir amiciſſimus. Ecce enim, inquiebat, Titus, qui cum Paulo fuit, non erat gentilis, & idololatra, & tamen Ἕλλην ab eo vocatur. Sic enim ſcribit in Epiſtola ad Galatas cap. 11: Ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ, Ἕλλην ὢν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι. Immo vel ex his verbis liquet, Titum, qui Ἕλλην hic vocatur, gentilem non ſolum fuiſſe, ſed etiam Ἕλληνα appellari generali appellatione, quod gentilis eſſet & incircumciſus, non quod natione Græcus. *Non erat,* inquit, *gentilis tum, cum Pauli comes fuit & adminiſter.* Hoc quidem verum: ſed neque ſignificat Paulus, eo tempore, quo cum ipſo fuit, Ἕλληνα fuiſſe. Hunc enim habent ſenſum eius verba : *Sed neque Titus, qui nunc mecum eſt, cum gentilis eſſet,* id eſt, cum mecum eſſe cœpit, *coactus eſt circumcidi.* Et ſic recte accepit vetus interpres, ac vertit: *Sed neque Titus, qui mecum*

*erat,*

Digitized by Google

*erat, cum eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi.* Apparet, Paulum τῆ περιτομῆ, hoc eſt, Iudaiſmum, τῷ Ἑλληνισμῷ opponere, cum dicit, Ἕλλην ὤν, οὐκ ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι. *Cum gentilis eſſet, id eſt, incircumciſus, non coactus eſt circumcidi.* Nec vero, quia Græcus natione fuerit, hac tamen generali notione de gentili quocunque id nomen poſuit Paulus. Afferebat & alium locum ex Iohannes XII. XX. quo fidem faceret, non ſemper dictionem Ἕλλην pro gentili in Euangelio accipi. Eum locum iam ſupra contra Heinſium explicavimus, & docuimus, de gentilibus, non de Græcis proſelytis eſſe accipiendum. Nec aliter vetus interpres Latinus intellexit, qui optime ita vertit: *Erant autem quidam gentiles ex his qui aſcenderant ut adorarent in die feſto.* Cum igitur nuſquam Ἕλλην, in Novo Teſtamento uſurpetur niſi de gentili, non potuit Lucas Ἕλληνας appellare qui facti erant Chriſtiani ex Græcis proſelytis. Vox Ἕλλην gentilem tantum in novo Fœdere ſignificat: At hic Ἑλληνιστὴς Græcus eſt, vel Græce loquens Chriſtianus, ex Græco Iudaizante factus. Non poterat etiam aſſentiri homo Græce & Ebraice peritiſſimus, cum de gentilibus agitur in Novo Teſtamento, ſemper per Ἕλληνας intelli-

gi

gi oportet gentiles cuiuſcunque nationis. Allegabat Paulum, diſtinguentem inter Ἕλληνας, & Σκύθας ac βαρβάρους. Hebeti mucrone retuſum hoc argumentum, & teſtimonia Pauli, nihil ad rem faciunt. Is in Epiſtola ad Romanos cap. 1. verſ. XIV. ita ſcribit: ἵνα καρπόν τινα σχῶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. Ἕλλησί τε, καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε, καὶ ἀσυνέτοις, ὀφειλέτης εἰμί. *Sæpe propoſui venire ad vos, ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, debitor ſum.* Quid hæc faciunt quo minus vox Ἕλλην, in Novo Teſtamento accipi cenſeatur ſemper pro gentili? Numquid hic de religione ſermo eſt? An gentilitas opponitur hoc in loco Iudaiſmo? Græci, cum de ſapientia & eruditione humana quæſtio erat, totum orbem in duo genera quaſi partes dividebant, εἰς τὸ Ἑλληνικὸν, καὶ τὸ βαρβαρικόν. Catam, doctam, politam orbis partem conſtare volebant in Græcis totam. Alteram ferocem, rudé, impolitam tam ſermone quam moribus, in reliquibus conſiſtere gentibus, quas omnes præter ſe *Barbaras* appellabant. Ne Romanos quidem excipiebant. Iudæi etiam in ea parte cenſebantur quæ Barbaros habebat. Hinc Phi-

lo in vita Moſis lib. I I. duas univerſi generis hominum partes facit, τὸ Ἑλληνικὸν, καὶ τὸ βαρβαρικὸν, & in Barbarico collocat etiam τὸ Ἰουδαϊκόν. Sic enim ſcribit de tranſlatione Græcanica Bibliorum: Δεινὸν ἡγησάμενοί τινες, εἰ νόμοι παρὰ τῷ ἡμίσει τμήματι ἐξ ἀνθρώπων γένους ἐξετασθήσονται, μόνῳ τῷ βαρβαρικῷ, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν εἰς ἅπαν ἀμοιρήσει. Idem alio loco in Tractatu de confuſione linguarum, duo tantum hominum genera in mundo agnoſcit, Græcos & Barbaros: καὶ ὅνπερ τρόπον, inquit, ἀνθρώπων Ἕλληνες μὲν Ἕλλησι, βαρβάροις ἢ βάρβαροι ὁμόγλωττοι διαλέγονται. Hæc diviſio apud eumdem, & apud alios auctores Græcos, ſæpe occurrit. Ita ergo & Paulus his verbis quæ ſupra citavimus, ut Ἕλληνας βαρβάροις opponit, ita σοφοὺς ἀσυνέτοις. Quaſi Græci ſoli σοφοὶ haberentur, Barbari omnes ἀσύνετοι. At Iudæi, qui maiorem rationem & curam habuere divini cultus, & veræ religionis, quam prudentiæ civilis, & cultioris litteraturæ, alia diviſione uſi ſunt. Nam genus humanum & ipſi ſecuerunt in duas partes, ut Græci, Græciſque ipſis alteram dederunt, alteram ſibi adſignarunt. Sic omnes homines in duo genera diſtinxerunt, in Græcos & Iudæos, Ἕλληνάς

τὶ καὶ Ἰουδαίους. Per Ἕλληνας omnes gentes, quæ idolorum cultum & Deorum multitudinem ponerent, intellexerunt. Inde & ἐθνικοὺς eos, *Gentiles*, appellarunt, quia omnia ἔθνη quæ Ἑλλήνων nomine vocabantur, ei idololatriæ dedita. Cum aliæ gentes eſſent præter Græcas, quæ plures Deos ſtatuerent, & venerationem idolis exhiberent, quia tamen Græci in eo errore præcipui, quaſi eximium illorum nomen ei rei datum eſt, & Ἑλληνισμὸν appellarunt. Suo autem nomini vindicarunt Iudæi, omnes qui veri & unius Dei cultum profiterentur. Hac diſtinctione Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων, quæ gentiles & paganos ab unius numinis cultoribus diſcerneret, multis locis uſus eſt Paulus. in prima ad Corinthios, cap. I. & XII. in Epiſtola ad Romanos cap. X. & alibi. nam & in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. III. Ἕλληνα & Ἰουδαῖον ſic opponit, ut περιτομὴν & ἀκροβυστίαν. Omnis igitur qui præputium habet, Ἕλλην illis vocatur. Et vetus interpres recte *gentilem* reddidit qui Ἕλλην Paulo ibi dicitur. *Vbi non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circunciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Quod

addidit Paulus, Βάρβαρος, Σκύθης, non ita interpretandum eſt, quaſi in præcedentibus Ἕλληνα vocaverit eum, qui natione Græcus eſt, quemque propterea ſeparat ab eo qui Barbarus & Scytha ibidem, paulo poſt, appellatur. Plures eo loco adhibet diverſas ac generales hominum diſtinctiones ac diviſiones quæ σχέσιν tantum inter ſe habent, non cum ſequentibus aut præcedentibus. Ut in maſculum & fœminam ibi dividitur homo. Certe & Maſculi & Fœminæ ſunt tam in Iudæis quam in gentilibus. Alio igitur pertinet ſequens diviſio, quæ & ipſa generalis eſt, ſed toto genere ſeiuncta eſt à præcedente, & aliud reſpicit, Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, id eſt, *Gentilis & Iudæus: plurium Deorum cultor, & unius: Idololatra, & ſola mente Deum venerans.* Sequitur, περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία. *Circunciſio & præputium*. Videretur nonnulli eadem eſſe σχέσις, pariaque facere cum præcedente, & eam explicare. Nam gentilis omnis cum præputio, Iudæi omnes ſoli recutiti. Non ita eſt. Et aliud in hac σχέσει quam in ea quæ præcedit, continetur. Præter Iudæos enim aliæ etiam gentes olim ſolitæ præputia ſibi circumcidere, ut Aegyptii, ut Aethiopes, & Colchi, teſte Hero-

Herodoto. Sic Arabes etiam hodie circumciduntur, qui Iudæi non ſunt, quamvis hac in parte Iudaizant. Subiungit Paulus: βάρβαρος, Σκύθης. Ex his verbis colligi volebat vir doctiſſimus, Ἕλληνος vocem, in hoc Pauli loco, quæ opponitur Ἰουδαίῳ, pro Græco germano eſſe accipiendam, non pro gentili vel pagano. Græcos quippe, dicebat, hic Paulus diſtinguit à Barbaris, & Scythis. Hoc ſi ita eſſet, *ſervum*, & *liberum*, à Græcis ſepararet. Quod eſt ridiculum. Sic enim ſcribit: ὅπου οὐκ ἔνι Ἕλλην, καὶ Ἰουδαῖος, περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία, Σκύθης, βάρβαρος, δοῦλος, ἐλεύθερος. *Liber*, *ſervus*. Atqui liberi & ſervi, etiam apud Barbaros, etiam apud Iudæos, etiam apud Scythas ac Græcos, fuere. Circunciſio eſt non apud ſolos Iudæos, ſed etiam aliæ gentes inguina mutilarunt. Diverſo igitur reſpectu in illis Pauli verbis, Ἕλλην & Ἰουδαῖος opponuntur, & βάρβαρος καὶ Σκύθης. In priore, religionis fit diviſio in unius Dei cultum, quem profitebantur Iudæi, & plurium numinum adorationem, quæ Græcis familiaris. At cum in Epiſtola eiuſdem Pauli, ad Romanos, Ἕλληνες καὶ βάρβαροι contraverſi ponuntur, Sapien-

tia humana cum humana inſipientia confertur. Nam Græci σοφοὶ, Barbari omnes ἀσυνετοι. Cum vero Iudæi & Græci comparantur, & invicem oppoſiti ſtatuuntur, ſapientia divina qua Iudæi præditi ſunt, ex adverſo ſtatuitur ſapientiæ humanæ, qua Græci pollebant. Sed hæc ſapientia humana inſipientia eſt apud Deum, & contra. Cum igitur varia in hoc loco Pauli proponantur oppoſita, quæ ſunt ex diverſo genere inter ſe contraria, non habent σχέσιν cum aliis contrariis, ſimiliter invicem ſibi oppoſitis. Sic Ἕλλω, qui Iudæo opponitur, non σχετικῶς dicitur ad *Barbari* vel *Scythæ* appellationem, quæ duo nomina & ipſa ſic ſibi oppoſita ſunt, ut nihil pertineant ad σχέσιν *Græci* & *Iudæi*. Solus religionis intellectus Ἕλληνα contra Iudæum ibi conſiſtere facit. Alio, ut dixi, reſpectu βάρβαρον & Σκύθην in duobus poſuit extremitatibus. Quærendum quid voluerit. Nam omnes hic interpretes non ſolum æſtuant, ſed errant. Potuiſſet Paulus, cum non unius generis oppoſitorum ἀντιμαχίας inſtruit, ubi de religionis diviſione ageret, Ἕλληνα & Iudæum conſtituere frontibus adverſis pugnantes. Hoc eſt, ſapien-

pientiam divinam cum inſipientia rerum divinarum in oppoſitis lancibus collocare. Rurſus ubi prudentiæ humanæ cauſam cum humanarum rerum inſcitia confligere facit, poterat nominare Ἕλληνα καὶ βάρβαρον, ut alio loco fecerat, & ut paſſim apud auctores τὸ Ἑλληνικὸν, & βαρβαρικὸν, invicem adverſantia ſibi ponuntur. Sed quoniam iam vox Ἕλλην, in cauſa religionis Iudæo oppoſita, ſedem occuparat, vitandæ ambiguitatis vel obſcuritatis gratia, quæſivit inter barbaras gentes eam, quæ minime omnium eſſet barbara, & quæ ſapientia ac prudentia humana cæteris præcelleret. Hæc eſt Scythica. Ideo Scytham cum Barbaro compoſuit, ut ſapientem cum inſipiente. Unus Herodotus teſtimonium dicit pro Scytharum σοφίᾳ, in Melpomene, his verbis: ὁ δὲ Πόντος, inquit, ὁ Εὔξεινος, ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται, πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ, ἔθνεα ἀμαθέστατα. *Pontus Euxinus, in quem expeditionem ſumpſit Darius, gentes habet omnium maxime ſtolidas, præter Scythicam.* Deinde addit: Οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν παραβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὐδὲ ἄνδρα λόγιον

οἴδαμεν γενόμενον παρὲκ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος, καὶ Ἀναχάρσιος. *Neque gentem ullam earum quæ circa Pontum ſunt proferre poſſumus ſapientia celebrem, neque ullum virum novimus ſapientem natum, præter nationem Scythicam, & Anacharſim.* Trogus Pompeius apud Iuſtinum lib. 11. ſcribit: *Quod Græci longa ſapientum doctrina, præceptiſque philoſophorum, conſequi nequeunt, hoc Scythis naturam dediſſe, cultoſque Græcorum mores incultæ Barbariæ Scytharum collatione ſuperari.* Cultiores ergo Græcis Scythæ, quos natura tales finxit, non doctrina. Ex his apparet, quid voluerit Paulus, cum *Scytham Barbaro* oppoſuit. Idem prorſus quod alio loco, cum Græcum Barbaro comparavit. Nullum certe locum proferre ex Novo Teſtamento poſſunt Helleniſticarii, ubi vox Ἕλλην, cum de religione agitur, aliter ſumatur quam pro gentile, & idololatra. Quoſcunque attulerunt, non aliam recipiunt interpretationem. Quo magis mirabar, tam confidenter eruditiſſimum virum, in illo noſtro colloquio, negare, Ἕλληνος appellatione, cum ſermo eſt de gentilibus, cuiuſcunque nationis gentiles intelligi. Vel unicus

unicus locus à Salmaſio in præfatione allatus contrarium evincit, ex VII. Marci. Ibi Mulier τῷ γένει Συροφοίνισσα, id eſt, genere ac natione Syrophœniſſa, non Syro-græca, nec Syro-Macedonica, appellatur Ἑλληνίς, à religione, non ab origine. ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνὶς, Συροφοίνισσα τῷ γένει. Quidam libri antiquiſſimi legunt, Σύρα Φοίνισσα. Quod idem eſt: *Ex Syria Phœnice oriunda, & pagana.* Recte Latinus interpres reddidit: *Erat enim mulier gentilis, genere Syrophœniſſa.* Unde porro veteris Eccleſiæ Græci patres hanc Ἕλλην vocem ſignificare *gentilem* didicerunt, niſi ex Novi Teſtamenti libris, in quibus ita ſemper accipi ſolet? Et ſic illi paſſim eam hac notione uſurpant. Unde Ἑλληνισμὸς pro paganiſmo, apud Epiphanium. Suidas in voce Ἀμμώνιος, Ἕλληνα poſuit pro gentili, his verbis; de eodem Ammonio loquens qui Alexandrinus domo erat: Οὗτος ἀπὸ χριστιανῶν γέγονεν Ἕλλην. Id eſt, pro Chriſtiana religione amplexus eſt Græcam. Ad verbum: *Ex Chriſtiano factus eſt gentilis.* Citat Porphyrium, qui id dixerit. Sed an Porphyrius dictionem Ἕλλην eo ſenſu poſuerat? Certe loqui voluit, ut

noverat, Chriſtianos vulgo loqui. Præterea nec abhorrere debuerunt ab hac loquutione Græci ipſi, quę religionem ſuam, in quacunque natione eſſet, hoc nomine ſignaret. Nec in contumeliam hoc Græci nominis dictum poterant accipere, ſi quis Ἕλλην vocaretur, qui de religione Græcus eſſet, etiamſi non eſſet natione. Ἑλληνιστὰς eos aliter vocarunt, id eſt, τῇ θρησκείᾳ ἑλληνίζοντας, & ἑλληνισμὸν profitentes. Infinitam liceret ſegetem exemplorum ex auctoribus demetere, & admetiri, quibus vox Ἕλλην ſic ſumitur pro gentili, ſi res ignota pluribus teſtibus probari deberet. Photius de Syneſio: ἦν ἢ οὗτος ἐξ Ἑλλήνων, τῇ φιλοσοφίᾳ σχολάζων. Id eſt, ex gentilibus. Idem de Helladio: Ἕλλην ὢν γράφει τὴν θρησκείαν. In vita Athanaſii: Ἰουλιανὸς γέμων τὸ τῆς βασιλείας κράτος λαβὼν τὰ τῶν Ἑλλήνων ἐσπούδαζον. Id eſt, gentilibus faciebat: Tam Romanis nimirum quam Græcis, qui gentiles erant. Plura parcam congerere. Aliam bene validam, & pæne invincibilem rationem putabat eſſe vir doctiſſimus, quæ faceret ut Helleniſtæ non eſſe deberent proſelyti. Non fuiſſe, inquiebat, illos omnes proſe-

proſelytos, ex eo conſtat, quod unus ex numero ſeptem Helleniſtarum diaconorum proſelytus Antiochenus nominatur. Ego idem telum validiore niſu in eum ſic retorquebam. Hoc enim argumento certius probari aiebam, non omnes Helleniſtas fuiſſe Iudæos, quandoquidem aliqui inter eos fuerint proſelyti. Falſo igitur ab his contendi, *Helleniſtas* eſſe Iudæos. Satis mihi eſt, conſtare, aliquos extitiſſe proſelytos, *Helleniſtarum* nomine appellatos. Sic non ex toto falſa erit quam tueor opinio. Ipſi dicunt, Helleniſtas, qui vocantur, fuiſſe Iudæos: ego aio, fuiſſe proſelytos. An meam falſi convincent ſententiam, cum diſerte Lucas in ſeptem Helleniſtis diaconis unum numeret proſelytum? Quid ſi placeret diſcidium componi? an renuere poſſent? Ut nimirum conveniret, Helleniſtas partim fuiſſe Iudæos, partim proſelytos? At nolo ego quod meum eſt, dividuum facere, totum volo. Verba Lucæ: καὶ ἐξελέξαντο Στέφανον, ἄνδρα πλήρη πίστεως καὶ πνεύματος ἁγίου, καὶ Φίλιππον, καὶ Πρόχορον, καὶ Νικάνορα, καὶ Τίμωνα, καὶ Παρμενᾶν, καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα. *Et elegerunt Stephanum, virum fidei plenum, &c.*

*& ſpiritus ſancti , & Philippum , & Prochorum, & Nicanorem , & Timonem , & Parmenam , & Nicolaum , proſelytum Antiochenum.* Cur, inquiebat vir ille doctus, nominatur hic Nicolaus proſelytus Antiochenus, ſi omnes id fuere quod ipſe erat ? Nonne ſatis fuiſſet, eum appellare Antiochenum ? Ego contra ſic inſtabam. Si Antiochenum tantum nominaſſet hunc Nicolaum, ex eo colligeretur, reliquos ſex non fuiſſe Antiochenos, ſed Hieroſolymitanos. Si vero appellaſſet eum tantum *proſelytum*, ex eo intelligi daretur, reliquos ſex non fuiſſe proſelytos, ſed veros & germanos Iudæos. Nemo certe negaverit, quin utrumvis horum ſic poſitum eam, quam dixi, conſequentiam colligat. At utrumque ſimul poſuit Lucas, Nicolaum hunc vocans *proſelytum Antiochenum.* Quid inde quæſo ſequitur, quam reliquos, quorum nomina præceſſere, fuiſſe proſelytos Hieroſolymitanos ? Sane & vox ipſa Ἑλληνιςὴς, proſelytum ſonat, Græca oratione utentem, cum Lucas Helleniſtas eo loco ab Hebræis diſtinxerit, & Nicolaum cum reliquis ſex diaconis ex corpore Helleniſtarum electos eſſe ſcripſerit. Duobus iterum

rum locis à Iudæis eos ſeparavit. Quis igitur iam amplius credere audeat, eos fuiſſe Iudæos? Proſelytus quidam eorum expreſſe nominatur. Omnes in genere ab Hebræis & Iudæis diſcernuntur. Quis non inde rite concluſerit, fuiſſe proſelytos, quos origine Iudæos minime extitiſſe conſtet? Utebatur idem vir eruditus auctoritate Syriaci interpretis, quam & ſupra nobis obtendit Heinſius. Is cap. IX. Helleniſtas, cum quibus diſputaſſe Paulus dicitur, interpretatur Iudæos, qui noverant Ἑλληνιστὶ, ſive, ut ipſi Syri dicunt, Ἰωνιστί. יהודיא אילין דידעין היו יונאית· Huic tum reſpondebamus, quod & Heinſio ſupra; Iudæos apud Syrum intelligendos eſſe pro *Iudaiſtis*. Nec enim magis mirum aut novum, τοὺς Ἰουδαϊστὰς, id eſt, proſelytos Ἰουδαΐζοντας, vocari Iudæos, quam τοὺς Ἑλληνιστὰς, id eſt, religione ἑλληνίζοντας, ſæpius appellari ἕλληνας, ut paſſim ab Apoſtolis nominantur, & à Græcis patribus. Si ἕλληνες vocantur qui Græci non ſunt, ſed religionem tantum Græcam profitentur, qui verius ſunt Ἑλληνισταὶ, quidni & *Iudæos* liceat dici qui Iudaiſmum colebant, & qui melius dicerentur Ἰουδαϊσταί? Non de Iu-

dæis

dæis originariis poſſe intelligi illos Helleniſtas cap. IX, ex eo liquet, quod eodem capite mentio fit ſeparatim Iudæorum & Helleniſtarum. Ex quo conſtat, alios fuiſſe à Iudæis Helleniſtas. Paulus ſtatim à converſione cum per manuum impoſitionem ab Anania in numerum & ordinem diſcipulorum receptus fuiſſet, prædicare Chriſtum cœpit in Synagogis Iudæorum qui Damaſci erant, eoſque confundere. Verſu XXII. eiuſdem cap. IX: καὶ συνέχεε τοὺς Ἰουδαίους, τοὺς κατοικοῦντας ἐν Δαμασκῷ. Hi Iudæi Damaſceni, cum de eo occidendo conſilium cepiſſent, cognitis eorum inſidiis, diſcipuli Chriſti eum de nocte Damaſco emiſerunt, muro urbis per ſportam delapſum. Deductus eſt inde ab iiſdem diſcipulis Hieruſalem, ubi cum eſſet, contuliſſe ſermonem dicitur cum Helleniſtis, in ea urbe ſcilicet conſiſtentibus & habitantibus. Verſu XXVIII: Καὶ ἦν μετ᾽ αὐτῶν εἰσπορευόμενος εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ παῤῥησιαζόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Ἐλάλει τε, καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, καὶ δὴ ἐπεχείρουν αὐτὸν ἀνελεῖν. Interpres Latinus, hic etiam vertit *Græcos*, & pro gentilibus videtur accepiſſe: *Loquebatur quoque gentibus,*

*bus, & diſputabat cum Græcis. Illi autem quærebant occidere eum.* Sed fallitur. fuere ex gentibus, ſed non amplius erant. Et Græci ſermone tum potius cenſebantur quam religione. Ideo Ἑλλωνισαί. De Iudæis Damaſci ſimiliter dixit, *καὶ συνεβουλεύσαντο αὐτὸν ἀνελεῖν. Et conſilio capto voluerunt eum occidere.* Cum hoc idem molirentur Helleniſtæ Hieroſolymitani, coacti ſunt diſcipuli eum inde educere, & in tutum ſubducere. Quocirca Cæſaream eum deduxerunt, & inde Tarſum. Iudæi Damaſci, ſi ſtamus ſententiæ Helleniſticariorum, omnes fuere Helleniſtæ. Nam quotquot Iudæorum alibi quam in Iudæa aut Hieroſolymis ex diſperſionis cauſa commorabantur, ii omnes Helleniſtæ. Cur eos igitur Lucas Damaſcenos Iudæos non vocabat *Helleniſtas*? Cur paucis poſt verſiculis Iudæos Hieroſolymitanos iſto nomine Helleniſtarum donavit? Nam certe illi Helleniſtæ, cum quibus Paulus Hieroſolymam ingreſſus colloquebatur ac diſſerebat, in ea urbe commorabantur. An Iudæi aliqui exules Hieroſolymis vixere? An in patria ſua quis exul? An diſperſi cenſebantur, aut in diſperſione vivere, qui in loco natali, &

li & omnium Iudæorum metropoli civitate habitabant ? Solvendum hunc nodum propono omnibus quotquot ubique terrarum ſunt Helleniſticariis : Quem ſi expediunt, tum de Helleniſtica ipſis concedam. Quid ? Non fuiſſe. Longe magis æſtuare, & ſe impeditum validius fateri videbatur vir ſumus, in tertio loco Lucæ ubi mentio fit *Helleniſtarum*. Concedebat enim, ibi Lucam *Helleniſtas* Iudæis opponere, cap. XI. Actorum verſ. XIX. & XX. de diſcipulis poſt necem Stephani diſperſis per varia loca orbis. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ, διῆλθον ἕως Φοινίκης, καὶ Κύπρου, καὶ Ἀντιοχείας, μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. Ἦσαν δέ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι, καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες εἰσελθόντες εἰς Ἀντιόχειαν, ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον Ἰησοῦν. Vetus interpres Latinus videtur legiſſe, Ἐλάλουν. καὶ πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. Sic enim vertit: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Ieſum*. Ex qua lectione longe etiam liquidius apparet, *Helleniſtarum* & *Iudæorum*

*dæorum* diſcrimen. Diſcipuli poſt cædem Stephani diſſipati, & uſque ad Antiochiam progreſſi, non prædicabant verbum niſi Iudæis ſolis. Quidam autem ex eis ingreſſi Antiochiam, non ad Iudæos tantum, ſed etiam ad Helleniſtas, loquebantur, & adnuntiabant iis Chriſtum. Diſtinctio Iudæorum, & Helleniſtarum, etiam ex vulgata clareſcit. Palam ergo eſt, *Iudæos* Antiochenos ab *Helleniſtis* Antiochenis à Luca diſcriminari. Sic Iudæos Hieroſolymitanos, & Helleniſtas Hieroſolymitanos, capite VI. diſcrevit, ubi *Helleniſtas* Hieroſolymitanos commurmuraſſe tradidit adverſus *Hebræos*. Ita vocavit Iudæos Hieroſolymitanos. Ex iſtis porro Antiochenis Helleniſtis fuit ille Nicolaus Helleniſta, quem idem Lucas proſelytum Antiochenum inter Diaconos fuiſſe dicit, cum cæteri nempe eſſent Hieroſolymitani. Cum hic hæreret vir doctus, & animi æſtum ob difficultatem ſolutionis haud diſſimularet, non uno ſe tamen modo tentabat inde extricare. Iudæos hoc loco cenſebat eos ſolos intelligendos, qui in Iudæa nati, vernaculam habuere linguam Hebraicam, quos Caſaubonus vocabat germanos &

γνησίȢς Iudæos, eoſque omnino eſſe quos *Hebræos* appellavit Lucas cap. VI. Hæc prima eius ſolutio, quæ nec laxiorem reddit catenam qua tenebatur, multo minus abrumpit. Primum Iudæi illi de quibus ibi fit mentio non potuere eſſe veri & germani Iudæi, in Iudæa ipſa ut puta nati, & Hebraice à cunis ipſis loquentes. Sermo quippe eo loci eſt, de Iudæis Syriæ Phœnices, Cypriis & Antiochenis. Sic enim ſcribitur; καὶ διῆλθον ἕως Φοινίκης, καὶ Κύπρȣ, καὶ Ἀντιοχείας, μηδενὶ λαλȣ̃ντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰȣδαίοις. *Nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis*. Id eſt, Iudæis Antiochiæ, Cypri, & Phœnices. Cum hic igitur Lucas Antiochenos Iudæos opponat Antiochenis Helleniſtis, ceſſat illa ratio de Iudæis naturalibus, & Iudææ regionis vernaculis. Immò iacet. Certe nihil ad rem facit. Deinde falſum eſt, ullorum Iudæorum per ea tempora, ne Hieroſolymitanos quidem excipio, vernaculam fuiſſe linguam Hebraicam. Eam ex Bibliis tunc hauriebant, & à magiſtris diſcebant, non ab uberibus nutricis ſugebant cum lacte. Quæ enim eo tempore mulier Hebraice ſciebat? Ne viri qui-

ri quidem, niſi legis doctores. Syriacum omnes idioma pro nativo idiomate excolebant. Nec aliam linguam, cum turbas alloqueretur, aut quando cum diſcipulis colloquebatur, uſurpavit Chriſtus. Poſtremo doceant, *Iudæorum* appellatione aliquando in ſacra ſcriptura ſolos qui Iudæam incolebant deſignatos. Hoc nunquam oſtendent. Nullibi quippe in Novo Teſtamento Iudæi dicuntur niſi de univerſa gente. Mentio fit in Actis, cap. XXI, τῶν ἀπὸ Ἀσίας Ἰουδαίων. Eodem capite verſ. XXXIX. ſe *Iudæum* appellat Paulus ipſe, cum eſſet domo Tarſenſis ex Cilicia: Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος, Ταρσεὺς, ἐκ Κιλικίας, οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. Et cum idem paſſim in Epiſtolis Ἰουδαῖον, & Ἕλληνα, ex adverſo componit, non intelligit ſolos Iudææ incolas, ſed omnes per univerſum orbem diſperſos Iudæos. Nec aliter ea voce utuntur ſcriptores Exotici, Græci Latinique. Ipſi Iudæi Ἑλληνίζοντες haud alio ſenſu Iudæos nominant, ut Philo & Ioſephus. Adeo generalis hæc appellatio, ut in nomen religionis de univerſis eam profitentibus tranſierit. Hinc Ἰουδαϊσμὸς & Ἰουδαΐ-

ζειν, ut ante docebamus. Ergo Iudæi omnes docti, Iudaicæ religionis cultores, quam indigenæ, tuam advenæ, ſive proſelyti, non unius regionis, quæ Iudæa dicta eſt, incolæ. Nec enim vetus hæc huius terræ denominatio. Priuſquam in captivitatem Babylonem deducerentur, non ſic vocabatur. Iudæi ipſi non eam ita nuncupabant, ſed *terram Canaan*, aut *terram Sanctam*, aut *terram Iſraëlis*. ארץ ישראל. Quam & à Syria diſtinguebant, quæ ipſis סוריא *Suria*. Præterea Iudæi non à Iudæa provincia nomen invenerunt, ſed ipſa potius Iudæa ſic à Iudæis nuncupata eſt. Iudæi autem à tribu Iudæ. Et ſtricta propriaque ſignificatione illi Iudæi dicti ſunt, quicunque de triba Iudæ fuere. Conſtat autem, ſi Ioſepho fides eſt, tum primum ita fuiſſe nominatos à tribu Iuda, & Iudęos, & Iudæam regionem, cum ex captivitate illi reverſi ſunt, ut ante notavimus. Anteriores Alexandro magno auctores, non Iudæos nominant. Et Herodotus; cui Σύριοι ἐν Παλαιςίνῃ appellantur pro Iudæis. Chœrilus poëta Alexandro σύγχρονος nec ſub nomine hoc eorum meminit, ſed deſcribit ex habitu, lingua, Solymorum habitatione, & lacu lato, cuius accolas eos facit.

Heca-

Hecatæus, qui Alexandri temporibus vixit, & Ptolemæo Lago familiaris fuit, *Iudæos* nominatim appellavit. Antiquior eorum appellatio, & quidem generalior, reperitur in libro Eſtheræ, ubi & verbum Ἰȣδαΐζειν, de his qui ſub imperio Aſſueri Iudaiſmum amplectebantur, poſitum eſt. Aetate porro Apoſtolorum Iudæorum nomen nuſquam de ſolis Iudæam habitantibus uſurpatum proprie occurrit in eorum ſcriptis. Nulla igitur ratione mihi videbatur vir ille doctus, ubi Lucas Helleniſtas à Iudæis diſcernit, Iudæos accipere de illis qui Iudæam incolebant. Præſertim cum eo loco agatur de Helleniſtis, & Iudæis, non Hieroſolymitanis, ſed Antiochenis. Quæ ratio eos invicem diſtinguendi, ſi Helleniſtæ fuere Iudæi? Quid iſti Helleniſtæ Iudæi habuerunt ſpeciale quo ab aliis Iudæis ſeparari deberent? Utrique Iſraëlitæ, utrique de ſemine Abrahami. Poterat etiam fieri ut multi ex illis Helleniſtis, quos volunt veros fuiſſe Iudæos, eſſent ex tribu Iudæ, cum tamen illi Iudæi, quos ſic hoc nomine ab Helleniſtis diſtinguunt, ex alia tribu fuerint. Nulloſne tribus Iudæ habuit Helleniſtas? Aliorum autem tribuum Iſraëlitæ, ut

Baniaminitidis, ſi Iudæi vocati ſunt generali notione, cur hoc nomine diſtingui debuerunt ab Helleniſtis Iudæis, ita proprie nuncupatis quia eſſent ex tribu Iudæ? Helleniſtæ illi quorum mentio capite VI Lucæ, quique opponuntur Hebræis, Hieroſolymitani incolæ & cives erant. Si veri, ut volunt, fuere Iudæi, qua in re diſtabant ab reliquis Iudæis æque Hieroſolymitanis? Non genere, non origine diſferebant, non religione, etiam fortaſſe nec tribu. Nomine ſolo diſtinguebantur. Quæ ratio huius nominalis differentiæ? An lingua? Ita videtur. Nam iſti Helleniſtę vocabantur. Ergo omnes Iudæi, qui Græce ſciebant, id nominis ferre debuerunt, ſive tantum Græce ſcirent, ſive etiam Hebraice. Atqui abſurdum, & ridiculum, aliquos Iudæos Græce peritos propter linguę Græcę ſcientiam ad ſuam adiunctam, hoc diſcrimine quaſi abruptos à reliquis Iudæis, etiam peculiari nomine fuiſſe notatos. Cur non & ſimiliter Iudæi, Romani ſermonis gnari, ſignati aliqua appellatione ſunt quæ indicaret in illis Latinæ linguæ doctrinam qua alii carerent? Sic aliqui debuerunt eſſe Ῥωμαϊσταὶ Iudæi, aliqui Περσισταὶ, aliqui Συριασταὶ, aliqui

qui etiam Ἰνδιστὶ, & ſic de omnibus linguis. Fateantur hic mecum viri, quibus ſenſus communis ineſt, tanti non eſſe unius dialecti cognitionem in Iudæo aliquo, ut propter eam à reliquis eiuſdem nationis, regionis, civitatis, religionis hominibus, diſcerni debuerit ac ſeparari. Atqui hic eo modo Helleniſtæ Iudæis opponuntur. Non ergo Helleniſtæ Iudæi. Quid verius hac conſequentia? Quid certius hac concluſione? Nec Iudæos hic mihi dixeris eſſe ſolius Iudææ incolas, cum & Antiocheni fuerint, haud minus quam Helleniſtæ, quibus opponuntur. Cum & Helleniſtas ſuos æque habuerit urbs Hieroſolyma ut Antiochia. Non poterat tamen perſuaderi vir præſtantiſſimus, Iudęos hic accipiendos pro univerſa natione. Et tamen ſi prima illa interpretatio non procederet, alteram hanc quaſi ſubſidiariam advocabat. Si, inquiebat, hic Iudęorum nomen ſignificat totam gentem, quod vix credere ſe docebat, Lucas appellat Helleniſtas, eos ex gentilibus, qui cum non eſſent Græci origine, linguam tamen & ritus Græcorum affectabant & æmulabantur. Et tales fuiſſe plurimos Antiochenos, eoſque eſſe quorum iſto loco memi-

nit Lucas. Videbat vir, iudicio & ingenio præſtans, non poſſe apud Lucam recte Helleniſtas à Iudæis dividi ac diſtingui, niſi aut Iudæi acciperentur de ſolis Iudææ incolis, aut per Helleniſtas intelligerentur gentiles. Ridiculum quippe eſſe, Helleniſtas Iudæos cenſere, & tamen à Iudæis eos hac peculiari appellatione diſcriminari. Ergo, inquiebat, aut ita diſtinguuntur à Iudæis, quatenus Iudæi dicuntur proprie qui Iudæam incolebant, Helleniſtæ autem Iudæi vocabantur, quicunque in diaſpora gentium habitabant. Sin autem Iudæos accipi ibi non placet ſolius Iudææ incolas, Helleniſtas iſtos pro paganis intelligendos, qui Græcæ originis non erant, ſed Græco ſermone & moribus utebantur. Priorem interpretationem refutavimus, ſecundam flatu uno deſpuere poſſumus. Certum quippe eſt, per eos Helleniſtas, quorum Lucas tribus meminit locis, nullo modo poſſe gentiles ſignificari. Primo loco ex cap. VI. Eccleſia Chriſti, quæ nondum gentes admiſerat, ex Hebræis & Helleniſtis conſtabat, qui ex gentibus proinde non erant. Secundo loco ex cap. IX. Helleniſtæ, cum quibus diſſeruit Paulus Hieroſolymis, poſt con-

ver-

verſionem, cum à Damaſco profugiſſet, fuere Hieroſolymitani. Et ex iſtis ipſis Hieroſolymitanis Helleniſtis, fuere ad fidem Chriſti converſi Helleniſtæ, illi qui Chriſti Eccleſiam Hieroſolymis conſiſtentem una cum Hebræis componebant. Gentiles porro non fuiſſe iſtos Hieroſolymitanos Helleniſtas, cum quibus ſermones commutavit ac diſputavit Paulus, ex eo liquet, quod nondum ad gentes miſſi tum fuerant Apoſtoli, verbum Euangelii eis prædicaturi. Præterea Syrus interpres eo loco recte Ἑλληνιστὰς, interpretatus eſt, *Iudæos Græce loquentes*, id eſt, Iudaizantes proſelytos. Tertio loco ex cap. XI. Helleniſtæ illi Antiocheni, quibus verbum loquebantur diſcipuli qui poſt necem Stephani Hieroſolymis Antiochiam conceſſerant, non fuere ex gentibus, quibus Chriſti prædicandi mandatum nondum acceperant Apoſtoli. Nam quod narratur capite præcedenti de Cornelio à Petro baptizato, poſterius accidiſſe, certum eſt, ut ex narratione perſpicitur. Præterea ex Helleniſtis illis Antiochenis fuiſſe omnino videtur ille Nicolaus Helleniſta, qui inter ſeptem diaconos adlectus, proſelytus Antiochenus Lucæ appella-

tur. Cum *Helleniſta* fuerit ille Nicolaus, & ex Helleniſtarum corpore delectus, & præterea proſelytus, ex eo clarum eſt, quoſdam Helleniſtas fuiſſe proſelytos. Poſtremo, cum ex illis diſcipulis, qui poſt lapidatum Stephanum Helleniſtam per varia loca diſperſi fugiebant, & Antiochiam ſe contulerant, nemini niſi Iudæis verbum prædicantes, quidam etiam Helleniſtis dicantur Chriſtum adnuntiaſſe, Helleniſtæ illi non erant gentiles, ſed Syri, religione Ἰουδαΐζοντες, lingua Ἑλληνίζοντες. Si de gentilibus intellexiſſet Lucas, non dixiſſet, πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, ſed, πρὸς τοὺς Ἕλληνας, aut, πρὸς τὰ ἔθνη, ut loqui conſuerunt Apoſtoli. Cum vir præſtantiſſimus non poſſet in omnibus illis Lucæ locis Helleniſtas de gentilibus interpretari, ſed in iſto tertio ſic accipiendum iudicaret, ex eo concluſit, duplicis generis fuiſſe Helleniſtas, Iudæos nimirum & gentiles. Quidni placeat & tertium genus addi, proſelytorum Helleniſtarum? Si gentiles fuere Helleniſtæ, nonne ex his fieri potuere proſelyti? Ergo & iſti *Helleniſtæ*. An minus commode Lucas explicari poteſt de Helleniſtis proſelytis, quam de Iudæis aut gentilibus Helleniſtis? Ex Luca ipſo diſcimus, fuiſſe ali-

quos

quos proſelytos Helleniſtas, qui in perſona Nicolai diaconi id declaravit, *Helleniſtæ* pariter & proſelyti. Quis aut quæ res vetaret, omnes ita accipi? Certe Lucas non ſolum id patitur, ſed etiam exigit. Si duo genera Helleniſtarum in Syria, Iudæi & gentiles, ab eadem cauſa utrique nominati, quod Græcorum moribus & linguæ aſſueſcerent, patrii ſermonis & inſtituti immemores; an inde ſequetur, quod idem volebat, recte linguam Helleniſticam ab hodiernis doctoribus eſſe nominatam? Duplex itaque etiam fuerit Helleniſtica, gentilium nempe Helleniſtarum, & Iudæorum. An eamdem utriſque dialectum Græcam communem dicent fuiſſe? Vix hoc poſſit concedi. Gentiles Helleniſtæ Syri magna ex parte mixtam ex Syriaca & Græcanica loquelam ſibi fecerunt. Iudæi vero quid? An omnium gentium Iudæis idem linguæ Græcæ Character inolitus fuit ac Syris? Paulus Tarſenſis eodem ſermone, ſi quando Græce loqueretur, uti ſolebat ac Petrus Galilæus? Quid de Ioſepho & Philone dicent, iſto Alexandrino, illo Hieroſolymitano? An eamdem Helleniſticam repræſentant in ſcriptis ſuis quam Paulus & Petrus? Quam multos

multos remur fuiſſe ſimiles Philoni & Ioſepho in Syria Iudæos & Aegypto, qui tam bene atque illi duo, Græce ſcriberent ac loquerentur ? Ergo & Helleniſticam illi ſuam habuerunt. Multi è Syria ſophiſtæ ac Rhetores prodierunt, non ſolum egregii *Helleniſtæ*, ſed etiam *Atticiſtæ*. Quid de eorum Helleniſtica dicendum, vel Atticiſtica, quæ in tantum diſſimilis fuerit Helleniſticæ Apoſtolorum ? Sic ſane conſtabit, duo eſſe genera Helleniſticæ, ut iam ſupra docuimus, impurum & purum. Quæ impura eſt Helleniſtica, ſi puræ hoc nomen convenit, fruſtra eam ſibi appellationem vindicet. Sin vero id nominis magis impuræ competit, fruſtra ſic voces eam quæ pura eſt. Nec ſane illa ratio patitur, ut Helleniſticum proprie dicatur quod ἀνελλήνιςον eſt, id eſt, Helleniſticæ contrarium. Immo *Hellenicæ* dicendum. Nulla quippe Helleniſtica, neque pura, neque impura: non recta, nec vitioſa. His argumentis & rationibus, nec illis validis, nec iſtis ſolidis, vir præſtantiſſimus conabatur cauſam defendere Helleniſticariorum, & opinionem Salmaſii infirmare. Haud ſcio an aliquid omiſerim. Quæ potuit memoria non fal-

fallax ſuppeditare, omnia fideliter retuli. Ubi hoc ſcriptum prodierit, ſi nonnulla à me prætermiſſa, quæ alicuius ſint momenti, in memoriam revocare dignabitur, & illa confutabuntur. Hîc tamen mihi ſuccurrebat, quod pæne oblitus fueram monere, ac refellere, ad argumentum Salmaſii de nominibus ſeptem diaconorum omnibus Græcanicis, ita eum occurriſſe. Iudæos, ſcilicet Hebræos, Græcis etiam nominibus interdum appellatos eſſe, ut inter Apoſtolos Andream & Philippum. Ex nominibus itaque Græcis, quæ diaconis Helleniſtis hæſiſſent, argui recte non poſſe, Helleniſtas Græcos fuiſſe potius quam Iudæos. Addebat & de Cepha & Thoma, quorum hic Δίδυμος Græce, ille Πέτρος vocatus eſſet. Item Sauli nomen in Paulum mutatum. Ioſephum nomine Romano *Flavium* appellatum. De Ioſepho reſpondemus, nomen hoc eius proprium eſſe Hebræum. Cauſam habuiſſe, cur adſcito Romano nomine, de ſuo cognomen faceret. Cum captus eſſet à Romanis, vinctus apud Titum & Veſpaſianum diu aſſervatus, tandemque liberatus, nomen Flavii aſſumpſit, ut ſic Clientem Flaviæ gentis, & quaſi libertum,
fate-

fateretur. Sic enim de ſe ſcribit in primo contra Apionem: ἐγενόμην δὲ παρὰ Ῥωμαίοις συλληφθεὶς αἰχμάλωτος, καὶ μὲ διὰ φυλακῆς Οὐεσπασιανὸς καὶ Τίτος ἔχοντες, ἀεὶ προσεδρεύειν αὐτοῖς ἠνάγκασαν, πρῶτον μὲν δεδεμένον, αὖθι δὲ λυθεὶς συνεπέμφθην ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας Τίτῳ πρὸς τὴν Ἱεροσολύμων πολιορκίαν. Ita enim liberti ſolebant nomina dominorum ſuis adiungere. Ita vocatus eſt *Flavius Soſipater*, ut *Flavius Ioſephus*. Quod ad Pauli Apoſtoli nomen attinet, Saulus proprie primo vocatus eſt, nomine Hebraico. Idque retinuit quamdui Iudæus fuit: quamvis in Græcia natus eſſet. Poſtea quam adductus eſt ad fidem, in ſignum converſionis & miſſionis eius qua gentibus prædicare verbum iuſſus eſt, mutata una littera Paulus pro Saulo nominatur. Cum Σαῦλον appellat Lucas, ante converſionem, nomen Hebraicum paulatim inflexit ad Græcam formam. Nam Hebræum eſt, Σαούλ. שאול. Cui ſi terminatio Græca daretur, triſyllabum exiſſet Σάουλος, non diſſylabum Σαῦλος. Cum manus ei imponeret in Baptiſmum Ananias, Σαοὺλ indigetavit, non Σαῦλον. cap. IX. Actorum, verſ. XVII. Σαοὺλ ἀδελφέ.

ἀδελφέ. Ex quo Σαῦλος fecerunt Græciſſantes diſcipuli. Sic enim dum ſe accommodant formæ & inflexioni Græcanicæ, Hebraicorum nominum terminationes mutarunt interpretes etiam Iudæi. Sic Ἠσαΐας, Ἐζεκίας, Ἱερεμίας, ſeptuaginta ſenioribus. Ἔσδρας etiam inſerto delta dixere cum terminatione Græcanica, qui ipſis eſt אזרא *EZRA*. Ioſepho Κάϊς dicitur pro Κάϊν, Ἠλὶς pro Ἠλεί. ܥܠܝ. Sic Nicolao Damaſceno Μόλις pro Μολὶδ, γεννήτωρ, *genitor*. Sic Venerem vocabant Babylonii genere maſculino, quæ Herodoto Μύλιττα. Πέτρος autem & Δίδυμος interpretationes ſunt nominum Syriacorum, quibus ambo illi Apoſtoli etiam paſſim in Novo Teſtamento reperiuntur appellati, *Cephas* & *Thomas*. At nemo ex ſeptem diaconis aliter invenitur dictus niſi Græco nomine. De Andrea & Philippo fateor Græcas eas eſſe appellationes diſcipulorum Hebræorum. Quibus etiam addi poſſunt Ἀλφαῖος, & Σίμων. Nam quamvis nonnulli hoc nomen ex Syriaco vel Hebræo deducant, Græcum etiam eſt, à Σιμός. Ut in proverbio, Οἶδα Σίμωνα, καὶ Σίμων ἐμέ. Nec dubium eſt, quin Syris, & Iudæis, qui & ipſi Syri tum,

lingua

lingua & provincia, ex Græcorum & Macedonum contubernio, qui provincias illas ſub Alexandri magni ſucceſſoribus regibus occuparant & inſederant, nomina propria Græca multa adhæſerint. Quædam etiam compoſita uſurparunt, ex Syro, & Græco, ut *Bartholomæus*, id eſt, filius Ptolemæi, & *Bartimæus*, id eſt, filius Timæi. Et fallitur Hieronymus, qui corrupte ſic legi putavit, & cenſuit, ſcribendum, *Barſemæus*, ὑὸς Τιμαίυ, Βαρτίμαιος apud Marcum. Nam Τιμαῖος nomen Græcum. Nec Syros tantum, ſed etiam Iudæos multos, in Hiſtoria Romana, & Gręca, nominibus Gręcis nuncupatos reperire eſt. Aetate Horatii Iudęus quidam Romæ notus erat nomine *Apellas*. Ἀπελλᾶς. Quod idem eſt ac Ἀπελλῆς. *Credat Iudæus Apella*. Heinſius, cum aliquot aliis eruditioribus, credunt, eſſe nomen Appellativum, & Iudæum recutitum ea voce ſignificari, quaſi ſine pelle. Quod maximam prodit inſcitiam. Ὁ λιπόδερμος, Latine huiuſmodi compoſitione diceretur *impellis*, ut *inveſtis*, *imberbis*, *implumis*. An *inpella* Latinum eſſet, aut *inveſta*? Præterea *a* privativa particula longa eſt, non brevis. Poſtremo in compoſitione non ponitur

nitur nuda, ſed *Ab* pro ea dicitur, ut *abſimilis*, *abnormis*, non *aſimilis*, nec *anormis*. Ita ergo dicendum foret *abpellis*, non *Apella*. Atque hæc obiter. *Theodorus* vocatur poëta Iudæus apud Martialem. Δοσίθεος nomen eſt viri Iudæi apud Ioſephum, cui cum Onia Aulæ ſuæ præfecturam commiſit Ptolemæus Philometor, totiuſque regni adminiſtrationem. Philo Iudæus notus cum ſuo nomine Græco. Ariſtobulus Iudæus Peripateticus inſignis, Philoſophus etiam inſignis. Iudæi reges & Tetrarchæ, etiam pontifices ſummi, Græca habuere nomina, Alexander, Ariſtobulus, Hyrcanus, Herodes, Agrippa, Philippus, Græce docti, plerique Iudæi: cum & Græcis faverent, Græcis etiam nominibus gaviſi ſunt, ſeu converſis ex Hebræo, ſignificatione nominis expreſſa & retenta, ſive ab origine Græca primitivis. Plerique etiam de plebe, ob affinitatem, vel amicitiam quam contraxerant cum Syris, vel Helleniſtis proſelytis, nomina eorum ſuis impoſuerunt. Inde Andreas, Philippus, Alphæus, Simon. Qui enim connubia iungebant cum ἀλλοφύλοις, etſi id illis vetitum foret, multo magis cum Iudaizantibus Græcis & Syris conciliabantur.


tur.

tur. Vel amicitia ſola id præſtare poterat & familiaritas. Hæc omnia quamvis vera, non tamen infirmant argumentum Salmaſii de nominibus ſumptum. Vix tria aut quattuor ex toto Novo Teſtamento producuntur nomina Iudæorum Græca. At in iſtis ſeptem diaconis cum eorum appellationes omnes ſint puræ Græcanicę, & nulla earum ex Hebraico tranſlata videatur, magnum ſignum eſt, Helleniſtas illos omnes Græcæ originis fuiſſe, nullum Iudæa. In tot nominibus cum nullum reperiatur Hebræum, vel Syrum, præſertim in hominibus plebeiis & illiteratis, quis poſſit credere Iudæos fuiſſe qui Iudaica non haberent nomina? Vis Salmaſiani argumenti in hoc ſolo repoſita eſt, quod non eſſet veriſimile, electos ex grege Helleniſtarum, qui eſſent Iudæi, ſeptem diaconos, nominibus omnes mere Græcis fuiſſe nuncupatos. Si unica hac ratione niteretur, poſſet videri imbecillior. Sed cum tot aliæ eæque firmiſſimæ ſimul cum ea militent, non eſt iam, quod dubitetur de veritate huius aſſertionis. Eam tamen adhuc impugnabat vir eruditiſſimus alia ſed valde imbelli ratiocinatione. Non temere recedendum eſſe dicti-

dictitabat ab opinione quæ tam multos haberet adſtipulatores viros eruditione ſummos. Cauſæ non bonæ male præſidium quæritur ex numero, quæ defendi rationibus debet. Sed & turba pro nobis eſt. Quis ante hos centum annos ſcivit quid eſſet Helleniſtica, aut eam nominari audivit? Intra unum ſæculum concluſi ſunt illi viri magni qui Helleniſticam fecere. Excepto igitur uno, & quidem noviſſimo omnium ſæculorum, eruditi nobis contra Helleniſticam ſuffragantur, quibus nec illa nota fuit nec nominata. Ne omnes quidem huius ultimi ſæculi viri magni pro Helleniſtica ſtant. Suæ ætatis duo maximi viri Scaliger & Caſaubonus eam neſciunt. Multi alii præſtantiſſimi eam negant. Totius antiquitatis auctoritas eos adiuvat. Primum eam nominavit Druſius, vir ut in Hebraicis ſatis ſubactus, ita in Græcis minus quam exercitatus. Sic enim ſcribit in Acta. *Vulgus*, inquit, *litteratorum ignorat, Apoſtolos & Euangeliſtas peculiarem dialectum habuiſſe, quam Helleniſticam vocamus.* Quis eum docuit illam ſic vocare? Quæ ratio ſic vocandi? Nemo ignorat, peculiarem Græce ſcribendi for-

mam habuiſſe Apoſtolos & Euangeliſtas. Sed nec ea dialectus fuit peculiaris, neque ſi fuiſſet, Helleniſticæ nomine nuncupari deberet. Druſii hariolationem arripuit Heinſius, novitatis ſtudio ductus & ambitione, eamque in maius promovit, ut videretur ſapere ſolus, & aliquid ſcire quod alii ignorarent. Heinſium ſequuti ſunt qui maioribus auſpiciis gloriæ eius in altum provectæ velificabantur, partim amici homines, partim adſentatores. Abrepti ſunt & nonnulli in eam ſententiam, pudore diſſentiendi à tam doctis ac celebribus viris, aut ne viderentur ipſi neſcire, quod tot homines doctrinæ nomine famigerati ſe ſcire iactarent. Iſti natales ſunt, hæc incrementa linguæ Helleniſticæ, intra unius ſæculi curriculum natæ, & ſi fortuna faverit cœptis noſtris, etiam denatæ. Speramus enim, emortualem eius diem nos hac opera confecturos, & celebrandum deinceps poſteritati daturos. Ante hunc diem Græca, Romana, Ebraica, Chaldaica, nihil conferre poterant ad intelligentiam Novi Teſtamenti. Sola Helleniſtica requirebatur quæ lucem inferret tenebroſis eius locis. Solus Heinſius eam ſe habere iactabat: ſibi

ſoli

ſoli ſecreta eius patere, ac proinde neminem præter ſe poſſe interpretari ſacram Novi Fœderis ſcripturam. Vidimus iam quid præſtiterit, quale & quantũ adiumentum ei attulerit ad explicandos ac diſſolvendos ſcripturæ nodos illa Helleniſtica. Fatebatur quidem vir ille ſummus, qui tunc contra me pro Helleniſtica advocatus ſtabat, ſuper eo fundamento Heinſium lignum, fœnum, ſtipulam inædificaſſe. Quod autem ſæpius ceſpitaſſet, non inde ſequi, omnes eius generis obſervationes, quæ ab Helleniſtica opem & auxilium petunt, inanes eſſe atque irritas. Ego contra dicebam, omnes eſſe nihili, quæ velut fundamento linguæ Helleniſticæ inniterentur. Nullam quippe poſſe mihi monſtrari in tam vaſto Opere, quæ ab Helleniſticæ dialecti proprietate penderet, quam quis queat veram probare. Me vero demonſtraturum eſſe nullo negotio, omnes eſſe falſas, abſurdas & ridiculas. Subiiciebat ibidem vir ille doctiſſimus ac diſertiſſimus, non poſſe negari, quin lingua auctorum Novi Teſtamenti multas haberet voces peculiares, quæ in alia ſignificatione ponerentur quam apud alios ſcriptores Græcos. De quibus poſſe confici, addebat, non exiguum

Lexicon. Neque tum hoc à me negatum eſt, & nunc prorſus aſſentior, rem ita ſe habere. Non inde tamen colligi poſſe, nunc & olim affirmo, Helleniſticæ alicuius ſic dictæ dialecti proprias eas eſſe dictiones. Herodotus, Thucydides, Demoſthenes, aliique decem Rethores multis quoque vocibus ſcatent quæ propriæ eorum ſunt, nec alibi reperiuntur. Unde & Grammaticis antiquis privata eſſe compoſita Lexica, quibus explicarent λέξεις Herodoti, Thucydidis, & Rhetorum Atticorum. Nec propterea poſſe dici & concludi, ununquemque illorum auctorum propriam ac peculiarem habuiſſe dialectum. Concludere igitur nunc iam licet cum Claudio Salmaſio, inſanam eſſe opinionem eorum, qui Helleniſticam pepererunt. Adderem ego, & ſtultos eſſe, qui ineptum illud commentum in ſinu foverunt, niſi ſcirem, multos etiam prudentes & catos viros repertos hac ætate, quos uſque ad inſaniam effaſcinatos dementavit iſta fanaticorum hominum doctrina.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


# Errata typographica ſic corrigenda.

Pag. 16. lin. 15. *appellati.* p. 26. l. 21. *negabunt.* p. 30. l. 20. *exactam.* p. 33. l. 13. *profundos.* p. 55. l. 11. *Iudaïſmum.* p. 59. l. 16. *vivant.* p. 76. l. 25. *uſos fuiſſe.* p. 89. l. 24. *Theſauro.* p. 101. l. 2. *ſe edoceri.* p. 120. l. 20. *condendo.* p. 156. l. 23. *ſenſerit.* p. 166. l. 27. *illam.* p. 174. l. 17. *ſtraminea.* p. 191. l. 18. *Maſora.* p. 194. l. 11. *Synagogas.* p. 223. l. 20. *eiſdem.* p. 225. l. 4. ποιητική. p. 234. l. 27. *oleum.* p. 260. l. 4. ἰδίωμα. p. 282. l. 21. *referemus.* p. 283. l. 29. νήσους. p. 284. l. 8. 9. *Helleniſticam illam.* p. 290. l. 17. 18. *non Helleniſtica. An* p. 302. l. 27. *recte.* p. 304. l. 11. ὀρθοέπεια. p. 304. l. 27. *Hiſpanienſis.* p. 306. l. 9. ἰδιότητας. p. 314. l. 12. κλῆσιν λαβεῖν. p. 318. l. 6. *Nec videri.* p. 323. l. 17. Ῥωμαίοις ὑπακούσας. p. 352. l. 9. 10. *Ioannis.* p. 353. l. 1. *oportere.* p. 368. l. 15. Φοινίκης.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google